CVRATIONIS MAGNETICÆ,
&
VNGVENTI ARMARII
MAGICA
IMPOSTVRA,
clarè demonſtrata

à

IOHANNE ROBERTI SOCIET. IESV *Sacerdote, S. Theol. Doct.*

MODESTA RESPONSIO

Ad pernicioſam Diſputationem Io. BAPTISTÆ ab HELMONT Bruxellenſis Medici Pyrotechnici, contra eumdem ROBERTI acerbè conſcriptam.



LVXEMBVRGI
Excudebat Hubertus Reuland,

Anno 1621.





REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO DOMINO D. IACOBO BOONEN, ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI, &c.



VEM è Grege Tuo errabundam, R^me^, atque Ill^me^ Domine, ad Caulas Tuas, quà possum, reduco: aut certè per quæ tesqua vagetur, sortem eius miseratus, indico. Aliter non potui, non debui. Memineram Legislatoris scitum diuinum: (Deut. 22. v. 1.) *Non videbis bouem fratris tui, aut* OVEM *errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum.* Plus iubet, & persuasu difficilius: (Exod. 23. v. 4.) *Si occurreris boui inimici tui,* inquit, *aut asino erranti, reduc ad eum.* Et mox: *Si videris asinum odientis te,*

 iace-

iacere ſub onere: non pertranſibis, ſed leuabis cum eo. Id conatus ſum, non in boue, aut aſino, ſed in *Oue*: non *Inimici*, ſed Paſtoris, mihi, ac mei Inſtituti hominibus, amiciſſimi, & beneuolentiſſimi. Quo etiam nomine, aliter non potui, vt dixi, aliter non debui. Quamquam abſque hoc, ipſa erraticæ ouiculæ iniqua ſors, meritò me commouere, & commonere debuit. Occurrebat *Principis Paſtorum* in ſimiles, affectus, qui *Videns turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & iacentes, ſicut oues, non habentes Paſtorem.* (Matth. 9. v. 36.) Talis *Helmontius*, Ouis tua. Cui vtique non deeras, optimus Paſtor. Ipſe ſibi defuit. Ipſe *locum Paſcuæ, vbi* eum, ſub tuâ cuſtodiâ, Paſtor animatum noſtrarum *collocauerat*; (Pſal. 22. v. 2.) deſeruit; & relictis *nonaginta nouem, ambulauit per calles deuios* (Iudic. 5. v. 6.) ſecutus non Paſtores, ſed, vt ſic dicam, Depaſtores: non Ductores, ſed Seductores. Ab his ita efferatus eſt, vt præter morem, & manſuetudi-

nem

nem innocentis illius pecoris, in innocentes homines vltro minabundus incurreret in quibus, mihi in primis non pepercit. Mouit mihi misericordiam, non bilem: & iudicaui, spectandam potius benignam naturam, quàm diram deprauationem. Itaque omissis verberibus, quibus & me tueri, & iniuriam vlcisci poteram, satis habui, ad TE eum reducere. Quinetiam rogo, memor sis illius: (Ezech. 34. v. 31.) *Vos autem Greges mei, Greges pascuæ meæ*, HOMINES *estis*, ac ideo eum humaniter tractes. Non est meum, TIBI præscribere. Scis, eumdem iubere, (v. 4.) vt *infirmum consolides, ægrotum sanes, confractum alliges, abiectum reducas*. Ita facies. Ac sic efficies, vt diu, multumque vagatus *Helmontius* Tuus, humanitatem, ac suauitatem Tuam expertus, nihil peius, nihil miserabilius ducat, quàm denuo à tam benefico Pastore recessisse: ac denique lætus, seductoribus deuictis, & triumphatis, TIBI canat illud epinicium:

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. (Psal. 22. 4.) Ita voueo, ita spero. TIBI vero, R^me^ atque Ill^me^ Domine, illud optatissimum: Vt (1. Pet. 5. v. 4.) *cum apparuerit* PRINCEPS PASTORVM, *percipias immarcessibilem gloriæ coronam.* Amen.

Luxemburgi Kalend. Octob. 1621.

R^næ^ atque Ill^mæ^ D. Tuæ
Seruus in Christo infimus

IOHANNES ROBERTI,
Societ. IESV.

LECTO-


LECTORI.

QVAM *nihil constans, nihil proprium est, Lector amice, in reciprocantibus perpetuò huius vitæ vndis! Sedebam quietissimus in modico cubiculo, tamquam in nidulo, inter chartas meas; &* non erat Satan, *vt Scriptura loquitur (3. Reg. 5. 4.)* neque occursus malus. *Cum ecce Tempestas, vnde minimè oportuit.* HELMONTIVS *me inuadit, homo Catholicus, vt quidem ipse profitetur: etsi libellus eius passim aliter cantat. Quid tibi eius inhumanam acerbitatem hîc memorem? videbis in hoc breui responso meo, dierum aliquot labore, minimè quidem illo molesto, aut difficili: nisi quòd coactus sum Helmontij pestilentes* Incogitantias, *cum antidoto, ostendere; quas ille solo veneno armatas, incautis obtrusit. Mirabuntur Bruxellenses, alium esse Helmontium, quàm ipsi hactenus putauerint. Rectius latuisset. Diu tamen est, cum id egit, vt se*

produceret. Leodij ante triennium hūc ipsum suum Libellum voluit typis vulgare. Negauit Censor Catholicus, in Catholicâ Vrbe, tam acatholica edi posse. Louanij sategit, DD. Medicos harum quisquiliarum habere approbatores: exploserunt. Imo quid de ijs sentiant, ad finem huius mei scripti videbis; & adiunctos Duacenses. Denique inuentus est Parisijs Follium Flator*(ita se Typographus vocat) qui suum illi ventum commodaret. Sed credo planè futurum, vt, vbi Boream illum turbulentissimum senseris, clames, quod Catullus aliâ in re:*

O ventum horribilem, atque pestilentem!

AD



AD DISPVTATIONEM

DE MAG. VVLNERVM Curatione

IOANNIS BAPT. HELMONTIJ Doct. Med. contra Iohannem Roberti, Societ. IESV *Presbyt.*

MODESTA RESPONSIO,

Authore eodem Io. Roberti.



QVOD DEVM ad Disputationis tuæ finem rogasti, Helmonti, id tibi cumulatissimè præstari, ex animo opto, precorque. ROGO *clementissimum parentem* DEVM, inquis, *ipse parcat delictis, quæ ex ignorantiâ non pertinaci, & humanâ fragilitate contraximus. Amen.* Addo & ego Amen, & iterum, ac tertium Amen, Amen. Quinetiam credere lubet, te pleraque illa peccata, quæ affatim, & largiter in angusto libello peccasti, *ex ignorantiâ* peccasse.

Vides principium meum, tibi non inauspicatum, aut inimicum, & ab animo minimè in te exasperato, etsi tu passim in me

multa, eaque aspera, & aculeata, effudisti. Quo meo merito, Helmonti? Quando ego te vel verbo, vel scripto, vel facto, læsi? Sed mittamus querelas, quibus, meâ quidem causâ, indulgere, hâc scriptiunculâ, non cogito: multo etiam minus mutuis verborum aculeis, aut iniurijs. Id hoc exordio profiteor: id toto sermonis decursu, quiuis Lector reapse præstitum agnoscet. Tu in primis agnosce. Vbique ampiruas, ego nusquam redandruo. Igitur rem, & doctrinam à personâ & authore separabo: illam meritò reijciam, & reijciendam ostendam: hunc, quà potero, excusabo. Decretum, inquam, mihi, te excusare, Helmonti; & eâ ipsâ excusatione, quam video tibi ipsi, præ reliquis, placuisse. Ponam errores, lapsus, acerbitates tuas, & iudicia ab iudicio parum sano profecta; sed ostendam, ex ignorantiâ, pleraque ista fluxisse. Imò, ne hoc ipsum acerbum tibi, alteriue videatur, si te ignorantem verbis concinnem meis; etsi tu eâ voce vsus es, non vtar ego: sed INCOGITANTIA te lapsum, mihi, alijsque, quibus potero, persuadebo. Est autem hoc multò illo minus, & mitius. Nam etiam doctissimi quiq; incogitantiâ aberrare possunt, non item ignorantiâ. certè ijs in rebus, quas callent. Sed satis Præfationis est.

I. IN-

I.

INCOGITANTIA HELMONtij in Libelli Dedicatione.

I. AGEDVM ergo, *Incogitantiam* tuam mecum recognosce, initio ab ipsâ tui Libelli Dedicatione, facto. GENIO tuo Disputationem tuam consecras; id est, vt pôst explicas, *Angelo tuo Custodi.* An satis cogitatè? Vix ita videri tibi ipsi queat, si cogites, quæ illi consecres. Vt iam taceam, quæ toto libello à nemine sano probanda scripsisti; ipse Dedicationis textus qualia habet? Negas, *præter Mathesin, vllam scientiam esse vulgo notam, quin nostro labili nata cerebro, instabilis sit, incerta, & mendosa.* Itaque eas scientias *putaticias* vocas, & eas, *ceu rusticam obseruationem merito te ponderare* ais. (pag. 1.) Hîc, ne Theologiam quidam Christianam excipis. Addis; *Fallitur; è chartis quisquis scientiam solidam, & veram addiscere præsumserit.* Vnde igitur, Helmonti? an ex Magistrorum ore? Respondes, & *Genium* tuum testaris: *Sat cognitum habes*, (ipsum Genium alloqueris) *quòd omnis scientia doceatur in magnâ quiete, multâ pace, & muto silentio, sine sonitu, & strepitu verborũ, sine distractione, mentisq; di-*

uisione, aut dubitatione incertarũ ambiguitatũ, sine ambitione, & sine duello diuersarũ ac oppositarum rationum adueniat. Vbicumq; vero horum aliquod emicuerit, ex cerebro hominum natam, incertam, instabilem, vanam, caducam obseruationem, scientiæ dumtaxat vmbram, mox suspicor; scientiam, inquam, & ex filijs tenebrarum calliditatem, filijs lucis impropriã arbitror, & inutilem garrulitatem. Omnes hîc Philosophos, Medicos, Iurisperitos, Theologos, disertè negas filios lucis, facis *filios tenebrarum.* (pag. 2. 3.)

II. PARADOXVM adiungis hactenus inauditum, *Hominem à suo Custode Genio, omnem scientiarum illuminationem accipere ordinariò: etsi* DEVS *non rarò multam scientiam immediatè influat, vt in Prophetas, &c.* (pag. 3.) Hæc si sunt, Helmonti, frustra igitur Magistri, frustra Doctores, frustra Academiæ, Scholæ, Disputationes; imo frustra Concilia, Pontificum diffinitiones, Scripturarum interpretes: denique frustra scriptura ipsa Sacra; cum solus Custos Angelus hominem illuminet, & sine ambiguitate doceat. Credisne, hanc tantam *incogitantiam* beatissimo spiritui probari posse?

III. AT TV non hîc sistis. Si rogeris, quando, & quo modo, Angelus hominem doceat? respondes, eum *imagines haustas à mente*

mente superna, ideasque rerum futurarum pingere in rebus somnio occurrentibus. (pag. 4.) Hæc tanta *incogitantia*, nimirum tibi dormienti, & somnianti excidisse videtur. Non ignoro, DEVM quandoque dormientibus, & somniantibus quædam aperire. Testis vnus sufficiat Nabuchodonosor. Sed vt vulgo id ab Angelis custodibus fiat; vt id ab illis petendum sit, ignosces, mi Helmonti, si dicam, non modò minimè cogitatè ista dici; sed ingenti periculo grauissimæ deceptionis esse exposita. Caue ne specie *Angeli lucis*, tibi imponat *angelus tenebrarum*. Scis, quis Lutherum, & Zuinglium hæresiarchas, vtrumque nocte, & somniantes, docuerit; illum, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, tamquam Idololatriam, reijcere; hunc, Christum procul à Sacrosanctâ Eucharistiâ arcere, & Ecclesiæ, pro Diuinissimo Sacramento, panis fragmentum, & paucas vini guttas obtrudere. Absit, vt simile quippiam tibi ominer; sed, verum vt fatear, tibi timeo. Caue.

IIII. DEMVM tuo Genio narras, *Cerbero plurimum laudis, honoris, dominij, libertatis, & potentiæ ascribi, ab ijs, quibus scientiæ claues creditæ putantur.* (p. 6.) Manifestè hoc tam honesto elogio tangis *Theologos omnes*, & maximè me, omnium minimum. At, nisi

te

te incogitantia occupasset, cogitasses vtique, inter eos esse & *S. Thomam Aquinatum*, & *S. Bonauenturam*, aliosque complures, sanctitatis laude clarissimos; quibus proinde cum *Cerbero* nihil commune est, aut fuit: nedum vt illi *laudis*, aut *honoris* quicquam tribuant. Audes tamen concludere, te *existimare*, *hoc opere te erga Angelum tuum Custodem bene mereri.* Ne hoc DEVS sinat, Helmonti. nam qui Angelus gratam sibi eiusmodi doctrinam fateretur, næ ille *inclitissimus*, & *felicissimus* non esset (qualem tu tuum indigitas) sed planè omnium teterrimus, & infelicissimus. Magis hæc è consequentibus intelligentur.

II.
INCOGITANTIA HELmontij in contumelijs, quibus P. Iohannem Roberti immeritum onerat.

I. CHRISTIANA modestia suadebat, Helmonti, vt *non redderes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed è contrario benediceres*: (1. Pet. 3. 9.) quod iubet Apostolorum Princeps, etiamsi à me fortè læsus esses. Quid ille diceret, si te videret vltro in hominem Christianum, &

Religiosum incurrere, à quo nulla vnquam tibi orta iniuria? *Incogitantia* videlicet te abripuit. Pauca è tuis maledictis in me coniectis, hic ponam causà exempli, ne quispiam affingi à me tibi existimet.

Primum, non sine acerbitate, & amaro sarcasmo, passim me vocas *Censorem*. Si attendisses, te tuo libello *censere* non modò me, & Goclenium (quod pag. 7. 8. & 9. profiteris) & quidem vtrumque acerbè admodum: verumetiam, illos, quos paulò antè dicebam, *Sanctos Theologos*, atque adeò *Ecclesiam Catholicam*, quæ doctrinam tuam perniciosam iudicat: si, inquam, attendisses, te agere *Censorem*, vt sic dicam, *œcumenicum*, & *vniuersalem*; nunquam eò *incogitantiæ* progressus esses. Sed peiora sunt, quæ sequuntur.

II. NON REPETO, quod me, tot cum alijs, me multò melioribus, *Cerbero amicũ* facis, (pag.6.) Tribuis alibi mihi magnam *iudicij temeritatem*: (p.15.) alibi, *superbiæ peccatum*: (pag.17.) alibi, me *Satanæ blandiri*: (p.18.) alibi, me *paganico errore præcipitari, & improuide carpere*. (p.42.) Quid, quòd *Iesuitæ caput* honestè ais *consimile furis cranio, & inde vtilem vsneam abradi posse*? (p. 44.) Goclenio nunquam negaui, vsneam, aut sanguinem humanum seruire posse me

dici

dicinis: ſed *in diſtans* agere poſſe per commentitios *Magnetiſmos*, id verò negaui meritò, & nego: ne quidem ſi è capitibus dierectorum mille pyrotechnicorum abradatur.

III. PLVRA habes, quæ in caput meum congeras. Audianus. Notas in me *inſolentem petulantiam*: (p.58.59.) *auſum planè intolerandum*. (p.70.) Omitto alia, vt palmarium illud tuum deſcribam: (pag.134) *Aperi oculos*, inquis, *gloriatus opime in tantâ veſtri ignorantiâ, hactenus eſt Satan, tamquã ſi ipſi thymiama gloriæ & dignitatis ſubfumigares, tibique dignitatem naturalem, ceu oculos, erueres, ipſique offeres*. Quid potuit dici acerbius? quid crudius? imo quid crudelius? ſed *incogitantia* te excuſet. Hic ego modum tuis maledictis memorandis ponam, cum tu ijs in me congerendis modum feceris nullum. Clementiſſimus DEVS tibi ignoſcat. Ego ſanè ex animo.

IIII. QVI HÆC legat, ægrè ſibi perſuadeat, ſine causâ te in me tam fuiſſe ſæuum. Si quis eam à me petat, nullam ſanè inuenio, niſi affectum tuum duplicem: alterum in rem, alterum in hominem. Adamaſti videlicet *Curationem Magneticam*, tamquam naturæ filiam: adamaſti *Bombaſtum Paracelſum*, vt *Germaniæ decus*, (p.51.) vt *Mo-*

narcham

narcham arcanorum. (p. 54.) Ego Goclenio respondens in Heautontimorumeno, illam dixi diaboli esse præstigias: de hoc illud liberè prædicaui, *Neminem vnquam fuisse Magum, Necromanticum, Veneficum, si Bombastus non fuit.* Hinc ille æstus tuus, hinc conuitiorum diluuium. Sciebas tamen nihil me istorum, nisi bonis rationibus additis, pronuntiasse. Sed de hoc infrà, vbi de tuâ malâ fide.

III.
INCOGITANTIA HELmontij in prodendâ suâ malâ fide.

1. HONESTO viro graue, & molestum est, censeri sublestâ fide, haberi simulatorem, & dissimulatorem callidum. Prodit enim hoc animam abiectam, & minimè generosam. Itaque nunquam hoc mali admitteres, nisi improba incogitantia te transuersum ageret. Ea cum variè appareat, maximè deprehenditur in eò, quòd in vniuersum dissimulas, te quicquam à me scriptum vidisse *de Magnetica Vulnerum Curatione*, præter *breuem* illam *Anatomen*, quam in Disputationis tuæ epigraphe nominas: cum liquidò mihi constet, te totum iam biennium, & eò amplius, alium

meum librum habuiſſe, quem inſcripſi *Goclenium Heautontimorumenon*: in quo ea explicantur, quæ in breuiculâ Anatome obiter ponebantur. Ponebantur, inquam, non probabantur. Nam cum *Anatome* ipſa *Theſes* eſſent, aut potius Theſium pars modica, vt in primâ Editione Treuirenſi videre licet; non erat eius munus quicquam probare, ſed ponere dumtaxat, quod alij, quib. collibuiſſet, improbarent, & argumentis conarentur euertere. Itaque quod toties mihi obijcis, & improbas, nihil me in *Anatome* probare, non niſi per incogitantiam obijcis, & improbas. Sed ad aliqua particularia malæ fidei tuæ argumenta deſcendamus.

II. INTERROGAS me (pag. 15.) *Agedum, cur diabolicam dicis curam? debueras equidem rationem Cenſuræ addidiſſe.* Non debueram, Helmonti in illis Theſibus. Rationem iam audiſti. Feci tamen abundè, (quod tu te ſcire per incogitantiam diſſimulas) in *Heautontimorumeno.* Vide, ſi lubet, Sectiones 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. quibus à pag. 122. ad 304. fusè, & ſolidè, tum grauiſſimâ, & multiplici authoritate; tum vaarum rationum momentis, oſtendi, eam curandi rationem, non niſi ad Cacodæmonem Authorem referri

ferri posse. Ingenui hominis erat, eas probationes, si minus probaret, legitimis argumentis placide, & sine contumeliâ conuellere. Sed vetuit infelix *incogitantia*.

III. ITERVM rogas (pag. 19.) *Quid superstitionis habet Vnguentum Armarium?* Dico ego, Quid non dissimulationis, & simulationis habet. *Helmontij incogitantia?* Sciebat enim ijsdē Sectionibus, huic Quæstioni abunde factum satis. Sed non satis bonâ fide ignorationem fingit. Simile est, quod sequitur: (pag. 25.) Probandæ videlicet *Vnguenti Armarij* sinceritati, affertur liber de *lampade vitæ*, in quo similis curatio plurium morborum. O pessimam *incogitantiæ* fidem! Integram Sectionem decimamtertiam, in meo Heaut. tribui Authori huius *Lampadis Ioanni Ernesto Burggrauio*; in quā non omisi istam Curationē à putrefacto in oui putamine, sanguine, [illegible] fide? tua *incogitantia* omittit. An sat b[illegible]

IIII. SOLISSEQVI [illegible] *magnetismo quodam feruntur* [illegible] *Solem*, inquis, (pag. 28.) Cur iteru[illegible] omittis, me respondisse huic ip[illegible] argumento à Goclenio, proposito, in Heaut. Sect. 8. pag. 103. Videat Lector, & miretur tuam *incogitantiam*. Si liber non est ad manum, obiter hic dico, quod ibi, Flores istos neque proficisci ad Solem, neque

qualitatem vllam, aut vim eò mittere, vt ſordidum Armarium Vnguentum dicitur ad vulnus. *Paracelſum*, dum integrâ fere panegyri effers (pag. 51. ſeqq.) ſiles, me ex ipſius Paracelſi libris oſtendiſſe Sectione 12. totâ, fuiſſe hominem vitâ improbiſſimum, doctrinâ pernicioſiſſimum, hæreticum, necromanticum, atheum. Quis hoc ſilentium iuſſit? tua *incogitantia*.

V. VT PALMARIVM argumentum ponis (pag. 73.) quo certò te conficere putas, *Satanam non cooperari cum Vnguento tuo*, vt ipſe in margine loqueris, Quod videlicet *nunquam veridicus ſit, nunquam bonus adus*. Tum ſuauiter iocans addis: *Niſi Satanam tunc noſtri miſertum fortè dixeris*. Item: (pag. 74.) *Fortaſſis quia anguſtus verbi, & pacti obſeruator iam apud vos eſt Satanas, nec amplius verſipellis, fraudulentus, impoſtor, mendax to-*

Suauiter hæc dicis Helmonti: ſed quàm bona [illegible] ſiles, quæ ſciebas me reſpondiſſe, in Heaut. Sect. [illegible] pag. 106. vbi, cum idem argumentum ex *Baſilio* [illegible] *lenius* attuliſſet, ita ſcripſi pag. 107. *Stramineum argumentum. Quaſi hoc non ſit hominem perdere, pro momentaneâ corporis ſalute animæ & curantis, & curati, peccati perniciem afferre ſempiternam*. Satis iſta de tuâ *malâ fide*, quæ alioquin alibi quoque paſſim ſeſe plus ſatis prodit.

VI.

VI. REFERRI tamen huc poteſt, quòd aliquoties parũ candidè interpretaris, quod ego cum Theologis Catholicis doceo, Diabolum eſſe, qui Curas illas perficiat quas decepti, vel deceptores, per hiſtrionicam illam Armorum vnctionem fieri volunt. *Neque certè*, ais, *iſto honore deferendo, Satanæ blandiri debemus.* (pag. 18.) Vereor, ne tu, Helmōti, ac tui ſimiles, multo magis ſeriò, per *incogitantiam illi blandiaris*. Attende ſodes. Catholici Theologi, (ne me ſolum cenſeas) dum docent, à Diabolo fieri, quæ tu *Magnetiſmis* tribuis, non aſcribunt damnatis Spiritibus aliquid ſupra Naturam: quinimò per ipſa naturalia agere docent, & tantum ea applicando ad agendum. Legiſti hoc in meâ *Anatome* (quam non potes negare, te legiſſe, etſi de *Heautontimorumeno* diſſimules) §. 43. quo loco ita quæro: *Quid? teli inunctione Cacodæmon ſanat?* & reſpondeo: *Minimè, neque enim poſſet: ſed irridens, & ſubſannans Vnguentarios iſtos, adhibet ipſe interea clanculum, remedia alia, callentiſſimus medicinæ omnis, &c.* Vide iam, Helmonti, vter plus Diabolo tribuat, tu, an ego: vter magis illi blandiri videatur. Tu tibi, aut alicui alteri *pyrotechnico* tribuis, *per teli procul diſſiti inunctionem, abſentis vulnus ſanare poſſe*: ego nec Diabolo hoc concedo, quem aio

nihil posse, nisi *naturalia ipsi vulneri applicando.* Et, si de *blandiendo* sermo est, vter magis blanditur, an qui Diaboli πανȣργίαν & veteratorias artes, naturæ velo tegit, & honestat, quod tu facis; an qui eas aperit, & serpentem tortuosum è latibulo suo protrahit, & reluctantem in luce, & omnium oculis ponit, quod ego facere conor? Scis illud. *Qui male agit, odit lucem.* Quis igitur magis lucem odit, tenebras amat, quàm *princeps tenebrarum* & qui malè agendo nūquam lassatur? Huic tu, vt gratificeris, & blandiaris, (ea tua *incogitantia* est) tenebris illi amicis eum celas, & Naturæ laruam, quod in te est, inducis.

IIII.

INCOGITANTIA HELmontij in contemtu scientiarum, & hominum doctorum cuiusque generis.

1. SICVT, quædam dissimulas, quæ ingenuè agnoscere, & fateri oportebat: ita non pauca nimis apertè, & liberè profers, quæ rectius taceres, &, si minus animo excludere velles, animo certè celares. Ex ijs illud est, quod scientias omnes, exceptâ Mathesi, & tuâ Pyrotechnicâ, contemtim vellicas,

licas. Vocas (pag.1.) *instabiles, incertas, mendosas, putatitias, rusticam obseruationem.* Testaris tuum *Genium* (pag.2.) *Omnem scientiam disci in muto silentio, sine sonitu, & strepitu verborum:* & (p.3.) *sine duello diuersarum, ac oppositarum rationum.* Ex quibus sequitur, scientias, quas hodie vocamus, Scientias non esse, sed *scientiæ umbram*, vt mox subiungis. Plura vide, vbi de tuâ dedicatione.

II. IAM, quod ad Doctos homines attinet, videamus primum, quid de *Medicis* sentias, quos tamquam ὁμοτέχνους, & collegas, colere & obseruare debebas. Vt impium tuum *Paracelsum*, vberius & magnificentius laudes, (pag.53.) ais, illum *loco naturalis studij, quod passim in scholis* STERILE *docetur, reale aliud, & longe vberrimum attulisse.* Deinde (p.54.) tam honestè de Medicis iudicas, vt dicas eos *rumori, somnioq; credulos assentiri.* Et sic iudicare, vocas, *frui, non seruire iudicij muneribus.* Incogitantia hæc tibi dictauit.

III. PHILOSOPHOS, ac *Theologos* nihilo clementius habes. Pag.107. vniuersè de omnibus loquens, ais, eos, *non nisi rusticè, corporaliterque nimis philosophari.* nempe quia execrandas superstitiones *in satanæ dominium retulerunt.* Iterum (p.119.) ijsdem

attribuis *ignorantiam, & rusticitatem.* Sed quid grauius dici potuit, quàm quod (pag. 137.) me alloquens, ita scribis: *Quicumque effectum naturalem, à* DEO *sic creatum, sic datum creaturis,* (de Vnguento tuo loqueris, cui vim affingis, vulnus procul positum sanandi) *tribuit dæmoni; is alienat honorem Creatori debitum, & in Satanam, eumdem ignominiosè vertit: quod (pace tuâ dixero) si bene sub tuam reuocaueris Anatomen,* IDOLOLATRIAM *expressam reperies.* Heu! Helmonti. Non vides, quò te rapiat affectus, & incogitantia?

IIII. VNO impetu Idololatras facis plerosque omnes Theologos Catholicos, etiã Sanctos; quos si non erat commodum in suis monumentis inspicere: in meo Heaut. reperires, Sect. 15. § 3. & inter eos S. *Thomã Aquinatem, & Albertum Magnum.* Quid, quod S. *Paulum Apostolum, Gentium Doctorem* eodem compingis? Vide eius sentẽtiam Act. 17. v. 27. & interpretationem, quã ex Catholicis Doctoribus, illã Sect. 15. affero. Addamus huc spectantem *Incogitantiã* tuam, eiusmodi, vt, nisi verba tua vel botenus ponam, ægrè futurus videatur, qui tibi excidisse crediturus sit.

V. DE COMMENTITIA *virtute tuâ Magneticâ in Vnguento Armario,* cum magnifi-

gnificè ſanè locutus eſſes (pag. 16.) hæc gratulabundus, tamquam triumphalem Epilogum, aſcribis: *Quid mirum, ſi* THEOLOGVS NVLLVS *hac ſuboleuerit? Poſtquam enim Sacerdos, & Leuita tranſiiſſent in Iericho, ſucceſſit Samaritanus Laicus, qui* OMNE IVS *Sacerdotibus inquirendi rerum cauſas eripuit. Natura idcirco abinde, non Theologos in ſui interpretes vocauit: ſed ſolos Medicos in filios optauit, & quidem tales* DVMTAXAT, *qui pyrotechnia inſtructi, rerum proprietates examinant &c.* Pergis (p.17) Nos *rerum proprietates ab occulto eruimus in lucem, naturæ* SOLI INTERPRETES FIDELES. Nihilne ergo, Helmonti, Theologis nihilne planè concedis? Reſpondes: *Theologus autem, quò iudicet præſtigioſum à naturali; à nobis prius definitionem hauriat neceſſum eſt: ne ſutor nempe vltra crepidam, labatur turpiter.* Tandem non ſine acerbo ſarcaſmo hunc locum concludis: *Multa certè vbique conditoris bonitas fuit, qui omnia creata in ingratum hominum vſum condidit: nec Theologorum quemquam aſſeſſorem admiſit, quot, quantaſque rebus virtutes inderet.*

VI. ORIVNTVR hîc aliqua vel quærenda, vel annotanda. Primum illud eſt, niſi *incogitantia* excuſaret, ingentem eſſe audaciam tuam, qui hiſtoricè interpreteris locũ

dicinis: sed *in distans* agere posse per commentitios *Magnetismos*, id verò negaui meritò, & nego: nę quidem si è capitibus dierectorum mille pyrotechnicorum abradatur.

III. PLVRA habes, quæ in caput meum congeras. Audianus. Notas in me *insolentem petulantiam*: (p.58.59.) *ausum planè intolerandum*. (p.70.) Omitto alia, vt palmarium illud tuum describam: (pag.134) *Aperi oculos*, inquis, *gloriatus opimè in tantâ vestri ignorantiâ, hactenus est Satan, tamquā si ipsi thymiama gloriæ & dignitatis subfumigares, tibique dignitatem naturalem, ceu oculos, erueres, ipsique offeres*. Quid potuit dici acerbius? quid crudius? imo quid crudelius? sed *incogitantia* te excuset. Hic ego modum tuis maledictis memorandis ponam, cum tu ijs in mę congerendis modum feceris nullum. Clementissimus DEVS tibi ignoscat. Ego sanè ex animo.

IIII. QVI HÆC legat, ægrè sibi persuadeat, sine causâ te in me tam fuisse sæuum. Si quis eam à me petat, nullam sanè inuenio, nisi affectum tuum duplicem: alterum in rem, alterum in hominem. Adamasti videlicet *Curationem Magneticam*, tamquam naturæ filiam: adamasti *Bombastum Paracelsum*, vt *Germaniæ decus*, (p.51.) vt *Monarcham*

narcham arcanorum. (p.54.) Ego Goclenio respondens in Heautontimorumeno, illam dixi diaboli esse præstigias: de hoc illud liberè prædicaui, *Neminem vnquam fuisse Magum, Necromanticum, Veneficum, si Bombastus non fuit.* Hinc ille æstus tuus, hinc conuitiorum diluuium. Sciebas tamen nihil me istorum, nisi bonis rationibus additis, pronuntiasse. Sed de hoc infrà, vbi de tuâ malâ fide.

III.

INCOGITANTIA HELmontij in prodendâ suâ malâ fide.

1. HONESTO viro graue, & molestum est, censeri sublestâ fide, haberi simulatorem, & dissimulatorem callidum. Prodit enim hoc animam abiectam, & minimè generosam. Itaque nunquam hoc mali admitteres, nisi improba incogitantia te transuersum ageret. Ea cum variè appareat, maximè deprehenditur in eo, quòd in vniuersum dissimulas, te quicquam à me scriptum vidisse *de Magnetica Vulnerum Curatione*, præter *breuem* illam *Anatomen*, quam in Disputationis tuæ epigraphe nominas: cum liquidò mihi constet, te totum iam biennium, & eò amplius, alium

meum librum habuiſſe, quem inſcripſi *Goclenium Heautontimorumenon*: in quo ea explicantur, quæ in breuiculâ Anatome obiter ponebantur. Ponebantur, inquam, non probabantur. Nam cum *Anatome* ipſa *Theſes* eſſent, aut potius Theſium pars modica, vt in primâ Editione Treuirenſi videre licet; non erat eius munus quicquam probare, ſed ponere dumtaxat, quod alij, quib. collibuiſſet, improbarent, & argumentis conarentur euertere. Itaque quod toties mihi obijcis, & improbas, nihil me in *Anatome* probare, non niſi per incogitantiam obijcis, & improbas. Sed ad aliqua particularia malæ fidei tuæ argumenta deſcendamus.

II. INTERROGAS me (pag. 15.) *Agedum, cur diabolicam dicis curam? debueras equidem rationem Cenſuræ addidiſſe.* Non debueram, Helmonti in illis Theſibus. Rationem iam audiſti. Feci tamen abundè, (quod tu te ſcire per incogitantiam diſſimulas) in *Heautontimorumeno.* Vide, ſi lubet, Sectiones 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. quibus à pag. 122. ad 304. fuſè, & ſolidè, tum grauiſſimâ, & multiplici authoritate; tum vaarum ratio num momentis, oſtendi, eam curandi rationem, non niſi ad Cacodæmonem Authorem referri

ferri posse. Ingenui hominis erat, eas probationes, si minus probaret, legitimis argumentis placidè, & sine contumeliâ conuellere. Sed vetuit infelix *incogitantia.*

III. ITERVM rogas (pag. 19.) *Quid superstitionis habet Vnguentum Armarium?* Dico ego, Quid non dissimulationis, & simulationis habet *Helmontij incogitantia?* Sciebat enim ijsdē Sectionibus, huic Quæstioni abunde factum satis. Sed non satis bonâ fide ignorationem fingit. Simile est, quod sequitur: (pag. 25.) Probandæ videlicet *Vnguenti Armarij* sinceritati, affertur liber de *lampade vitæ*, in quo similis curatio plurium morborum. O pessimam *incogitantiæ* fidem! Integram Sectionem decimamtertiam, in meo Heaut. tribui Authori huius *Lampadis Ioanni Ernesto Burggrauio*, in quâ non omisi istam Curationē à putrefacto in oui putamine, sanguine, & tua *incogitantia* omittit. An sat bo[illegible] fide?

IIII. SOLISSEQVI [illegible] *magnetismo quodam feruntur* [illegible] *Solem*, inquis, (pag. 28.) Cur iterum omittis, me respondisse huic ipsi argumento à Goclenio, proposito, in Heaut. Sect. 8. pag. 103. Videat Lector, & miretur tuam *incogitantiam.* Si liber non est ad manum, obiter hic dico: quod ibi, Flores istos neque proficisci ad Solem, neque

qualitatem vllam, aut vim eò mittere, vt sordidum Armarium Vnguentum dicitur ad vulnus. *Paracelsum*, dum integrâ fere panegyri effers (pag. 51. seqq.) siles, me ex ipsius Paracelsi libris ostendisse Sectione 12. totâ, fuisse hominem vitâ improbissimum, doctrinâ perniciosissimum, hæreticum, necromanticum, atheum. Quis hoc silentium iussit? tua *incogitantia*.

V. VT PALMARIVM argumentum ponis (pag. 73.) quo certò te conficere putas, *Satanam non cooperari cum Vnguento tuo*, vt ipse in margine loqueris, Quod videlicet *nunquam veridicus sit, nunquam bonus adus*. Tum suauiter iocans addis: *Nisi Satanam tunc nostri misertum forte dixeris.* Item: (pag. 74.) *Fortassis quia angustus verbi, & pacti obseruator iam apud vos est Satanas, nec amplius versipellis, fraudulentus, impostor, mendax to-* [illegible] Suauiter hæc dicis Helmonti: sed quàm bona [illegible]siles, quæ sciebas me respondisse, in Heaut. Sect. [illegible] pag. 106. vbi, cum idem argumentum ex *Basilio* [illegible]*lenius* attulisset, ita scripsi pag. 107. *Stramineum argumentum. Quasi hoc non sit hominem perdere, pro momentanea corporis salute animæ & curantis, & curati, peccati perniciem afferre sempiternam.* Satis ista de tuâ *malâ fide*, quæ alioquin alibi quoque passim sese plus satis prodit.

VI.

VI. REFERRI tamen huc poteſt, quòd aliquoties parũ candidè interpretaris, quod ego cum Theologis Catholicis doceo, Diabolum eſſe, qui Curas illas perficiat quas decepti, vel deceptores, per hiſtrionicam illam Armorum vnctionem fieri volunt. *Neque certè*, ais, *iſto honore deferendo, Satanæ blandiri debemus.* (pag. 18.) Vereor, ne tu, Helmõti ac tui ſimiles, multo magis ſeriò, per *incogitantiam illi blandiaris.* Attende, ſodes. Catholici Theologi, (ne me ſolum cenſeas) dum docent, à Diabolo fieri, quæ tu *Magnetiſmis* tribuis, non aſcribunt damnatis Spiritibus aliquid ſupra Naturam: quinimò per ipſa naturalia agere docent, & tantum ea applicando ad agendum. Legiſti hoc in meâ *Anatome* (quam non potes negare, te legiſſe, etſi de *Heautontimorumeno* diſſimules) §. 43. quo loco ita quæro: *Quid? teli inunctione Cacodæmon ſanat?* & reſpondeo: *Minimè, neque enim poſſet: ſed irridens, & ſubſannans Vnguentarios iſtos, adhibet ipſe interea clanculùm remedia alia, callentiſſimus medicinæ omnis, &c.* Vide iam, Helmonti, vter plus Diabolo tribuat, tu, an ego: vter magis illi blandiri videatur. Tu tibi, aut alicui alteri *pyrotechnico* tribuis, *per teli procul diſſiti inunctionem, abſentis vulnus ſanare poſſe*: ego nec Diabolo hoc concedo; quem aio

nihil posse, nisi *naturalia ipsi vulneri applicando.* Et, si de *blandiendo* sermo est, vter magis blanditur, an qui Diaboli πανηγύριν & veteratorias artes, naturæ velo tegit, & honestat, quod tu facis; an qui eas aperit, & serpentem tortuosum è latibulo suo protrahit, & reluctantem in luce, & omnium oculis ponit, quod ego facere conor? Scis illud. *Qui male agit, odit lucem.* Quis igitur magis lucem odit, tenebras amat, quam *princeps tenebrarum* & qui malè agendo nũquam lassatur? Huic tu, vt gratificeris, & blandiaris, (ea tua *incogitantia* est) tenebris illi amicis eum celas, & Naturæ laruam, quod in te est, inducis.

IIII.

INCOGITANTIA HELmontij in contemtu scientiarum, & hominum doctorum cuiusque generis.

1. SICVT, quædam dissimulas, quæ ingenuè agnoscere, & fateri oportebat: ita non pauca nimis apertè, & liberè profers, quæ rectius taceres, &, si minus animo excludere velles, animo certè celares. Ex ijs illud est, quod scientias omnes, exceptâ Mathesi, & tuâ Pyrotechnicâ, contemtim vellicas.

licas. Vocas (pag.1.) *instabiles, incertas, mendosas, putatitias, rusticam obseruationem.* Testaris tuum *Genium* (pag.2.) *Omnem scientiam disci in muto silentio, sine sonitu, & strepitu verborum:* & (p.3.) *sine duello diuersarum, ac oppositarum rationum.* Ex quibus sequitur, scientias, quas hodie vocamus, Scientias non esse, sed *scientiæ umbram,* vt mox subiungis. Plura vide, vbi de tuâ dedicatione.

II. IAM, quod ad Doctos homines attinet, videamus primum, quid de *Medicis* sentias, quos tamquam ὁμοτέχνυς, & collegas, colere & obseruare debebas. Vt impium tuum *Paracelsum*, vberius & magnificentius laudes, (pag.53.) ais, illum *loco naturalis studij, quod passim in scholis* STERILE *docetur, reale aliud, & longe vberrimum attulisse.* Deinde (p.54.) tam honestè de Medicis iudicas, vt dicas eos *rumori, somnioq; credulos assentiri.* Et sic iudicare, vocas, *frui, non seruire iudicij muneribus.* Incogitantia hæc tibi dictauit.

III. PHILOSOPHOS, ac *Theologos* nihilo clementius habes. Pag.107. vniuersè de omnibus loquens, ais, eos, *non nisi rusticè, corporaliterque nimis philosophari.* nempe quia execrandas superstitiones *in satanæ dominium retulerunt.* Iterum (p.119.) ijsdem

gnificè sanè locutus esses(pag.16.) hæc gratulabundus, tamquam triumphalem Epilogum, ascribis: *Quid mirum, si* THEOLOGVS NVLLVS *hæc subolenerit? Postquam enim Sacerdos, & Leuita transiissent in Iericho, successit Samaritanus Laicus, qui* OMNE IVS *Sacerdotibus inquirendi rerum causas eripuit. Natura idcirco abinde, non Theologos in sui interpretes vocauit: sed solos Medicos in filios optauit, & quidem tales* DVMTAXAT*, qui pyrotechinâ instructi, rerum proprietates examinant &c.* Pergis(p.17.) *Nos rerum proprietates ab occulto eruimus in lucem, naturæ* SOLI INTERPRETES FIDELES. Nihilne ergo, Helmonti, Theologis nihilne planè concedis? Respondes: *Theologus autem, quò iudicet præstigiosum à naturali; à nobis prius definitionem hauriat necessum est. ne sutor nẽpe vltra crepidam, labatur turpiter.* Tandem non sine acerbo sarcasmo hunc locum cõcludis: *Multa certè vbique conditoris bonitas fuit, qui omnia creata in ingratum hominum vsum condidit: nec Theologorum quemquam assessorem admisit, quot, quantasque rebus virtutes inderet.*

VI. ORIVNTVR hic aliqua vel quærenda, vel annotanda. Primum illud est, nisi *incogitantia* excusaret, ingentem esse audaciam tuam, qui historicè interpreteris locũ

illum de Sacerdote, Leuita, Samaritano. quasi tum Alchymistis, siue Pyrotechnicis illud interpretandi, vt sic dicam, priuilegiũ à DEO attributum sit. Quis mortalium ante te ita locum illum exposuit? Saltem attenderes, non esse illam historiam, sed dũtaxat *parabolam*. Alterum est, Quòd immane onus tuis, tuorumque Synalchymistarum humeris imponis, dum omnes reliquos mortales vestræ ferulæ subijcis. Ergone in rerum naturalium cognitione te præferre aussis D. *Thomæ Aquinati, Alberto Magno, Scoto?* Considera, quæso, antè quàm temerè respondes.

VII. TERTIVM est, Quod hoc vno pronuntiato, velut impacto pede, authoritatem abijcis Summorum Pontificum, Conciliorum, Episcoporum, Imperatorũ, Regum, Principum, Rerumpub. qui cum Vniuersitates, Academias, scholas instituerent, accuratissimè de Theologiâ, Iure vtroque, Medicinâ, Philosophiâ, Musisque mansuetioribus, constituerunt, atque earũ scientiarum Professores, liberalibus stipendijs procul euocarunt, & inuitarunt: de *Pyrotechnicâ* tuâ mirum apud sapientissimos viros silentium. Quartum, Quòd ægrè intelligi potest tua ista doctrina, sine graui iniuriâ tot *inclitissimorum, & felicissimorum*

An-

Angelorum Custodum; ex tuâ quidem sententiâ in Præfatione ad tuum. Nam cum in illâ scribas, *Hominem à suo Custode Genio, omnem scientiarum illuminationem accipere ordinario*: certè ignauos esse oportet reliquorum hominum Angelos; eos autem solos gnauos, & diligentes, qui *Pyrotechnicis* præsunt. Video, te respondere posse, Angelos quidem paratos esse semper, clientes suos docere: sed hominum culpam esse, qui vel voluntate, vel cerebro careant, præter solos *Pyrotechnicos*. Hoc, vt dixi, respõderi posset. Sed dubito, an audeant *Pyrotechnici* omnes hoc clarè efferre, etiamsi omnem suam sapientiam, & audaciam, subtilissimè & πυροτεχνικωτάτως *distillauerint, sublimauerint, calcinauerint, fermentauerint, soluerint, coagulauerint, fixauerint*. quæ sunt vestra, vt ipse profiteris, *adminicula*.

VIII. ALIA quâdam ratione tua *incogitantia*, & hominibus, & Angelis, si non iniuriosa; certè grauis, & molesta esse videtur. Ais, *Theologos, à te, tuique symmystis haurire oportere*. Nonne tu in Præfat. ad tuũ *Genium*, disertè scripsisti, *sine strepitu, & sonitu verborum omnem scientiam doceri?* nonne addidisti, fore alioquin *incertam, instabilem, vanam, & caducam obseruationem, scientiæ dumtaxat vmbram; ex filiis tenebrarum*

cal-

calliditatem, filijs lucis impropriam, & inutilem garrulitatem? Cur igitur Theologos à te discere vis? cur non potius rectà ad *Angelum custodem* suum, quemque ablegas? Si dicas, sat esse, quod tu, tuique *Vulcanij* fratres inde hauseritis; quæram, Vnde id nobis constare possit? Si dicas, tibi, tuisque credendum esse, vt diuinitus edoctis; ignosces, si tibi vicissim dicam, *priuatum* illum *spiritum* esse simillimum spiritui Caluinistarũ, quem pro Spiritu Sancto venditant, & cui Christianos homines omnes, fasces submittere velint. Absit, Helmonti, vt eò progrediaris. Agnosce *incogitantiam*, &, dum licet, reduc calculum.

IX. AD EXTREMVM, ne nimium tibi de tuo acumine blandiaris, dum ais, DEVM, dum res conderet, *nullum Theologorum Assessorem admisisse*: sicut hoc tibi vltro concedimus, ita hoc reponimus, ne *Alchymistarum* quidem quemquam ad id operis fuisse admissum. Sane magnus ille Conditor, neque tunc, neque postea vnquam, quẽquam docuit alios subsannare, aut naso suspendere. Audi eius Apostolum Iacobum (cap. 3. v. 17.) *Quæ desursum est sapientia pacifica est, modesta, suadibilis, bonis consentiens* (tales sunt tot sancti Theologi) *non iudicans*. Tua, quæ tantum distat, vide ne sit *terrena*,

rena, animalis diabolica. Remoue, si sapis, tam perniciosam *incogitantiam.*

V.

INCOGITANTIA HELmontij in Philosophiâ interpolandâ.

I. VTI SANAM Philosophiam audacter reijcis; ita nouam liberaliter fingis, & nobis obtrudis. Videat Lector hæc pauca exempla; quæ non exaggerabo, multo etiam minus ambitiosè refutabo, contentus fere, tantum posuisse; quoniam nouisse, refutasse est. Eamus per Propositiones distinctionis, & lucis gratiâ.

Prop. I. *Necesse est, accidens migrare idem de subiecto in subiectum.* (p. 42.) Qui contra hanc sententiam tuam sentiunt, arguis *ingentis pertinacitatis.*

Probas primò, quia *eadem cicatrix est in cadauere, quæ in homine hesterno fuit.* Vt hoc concedatur, scire te oportebat, optimè responderi à bonis Philosophis, eiusmodi accidentia, pro subiecto habere *Materiam.* Atqui hanc in Cadauere eamdem manere nemini est dubium. Probas secundò, quia *habemus lumen, & virtutem solis apud nos:* quod ita intelligi vis, vt ipsum idem lumen, quod

quod in Solis corpore est, in aërem migret. Non migrat, Helmonti, sed in aëre aliud lumen à sole producitur, sicut calor ab igne in tuâ manu. Itaque omitte, sodes, ista tragica Epiphonemata, quæ eâdem pagellâ, nimis animosè tibi

——— pulmo animæ prægrandis anhelat: Ecce quo paganicus error præcipitet improuidè carpentes! & illud: *Cæcutire nempe hoc est ad solem.*

II. PROBAS tertiò, *Nam trans vitrum lingula compassi ad polum sese flectit, & ad ferrum vicinum trahitur: igitur idem accidens*, inquit, *trans vitrum migrat de magnete in aerem, & ad polum ipsum fortassis attingit.* (pag. 43.) Vnde, quæso, Helmonti, hoc cõsequitur? non potes igitur tu ad cælum te conuertere, quin accidens aliquod per totum aërem, & per cælos ipsos transmittas? nouum mysterium pyrotechnicum & cùm Gocleniacis comparandum. Tu tibi de eo plaudis: *Ego certè*, inquis, *mihi gratulor, de ignorantia talis doctrinæ, de quâ Goclenius, velut rudis accusatur.* Plaude, Helmonti, me certè non habebis applausorem. Tibi eueniet, quod Euclioni illi Horatiano, qui sibi suauiter canit:

——— Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, quando nummos contemplor in arcâ.

III.

III. PROBAS quartò: (*Frustra* (inquis pag.42.) *nos Sanctorum reliquias veneramur, si sola materia impossibilis Aristotelicorum, superfit, & non accidentia quædam in corrupto remanserint, quæ olim erant in viuo.* Quomodo hîc, Helmonti, te excuses, nisi incogitantiâ, qui tam apertè legem migres, quam ipse tulisti? An oblitus es, te basilicam illam editionem fecisse: (pag. 17.) *De* DEO *Theologus, naturalis verò de naturâ inquirat?* Cur tu ergo res Theologicas attingis? Sed, quod ad rem ipsam attinet, etsi fingamus, nihil manere in Sancto Cadauere nisi Materiem, cur ideo *frustra Reliquias veneramur*? An non videtur tibi illud corpus honore dignũ, quod animæ beatę & fuit olim domicilium, & quondam erit, æternumque manebit? Quâ tu ratione, & quo tandem iure Accidentia materiæ præfers, quæ est ipsius beati hominis pars, cum accidentia aliud vtique non sint, quàm accidentia? Hæc tua propositio, vt nihil grauius dicam, malè sonat. Sed tutus delitescis sub *incogitantiâ*.

IIII. PERGAMVS ad reliqua tuæ Philosophiæ.

Propos. II. *Creatis singulis suum inest cælum, cœlique rotatio.* (pag.55.) Item: *Res vnaquaque suum cælum, calorumque ob id syzygiam continet.* Hoc ita crudè positum, ægrè auditur

tur, etiam à modesto ingenio, quin statim occurrat, ei, qui sic sentiat, *rotari cerebrum*, non à cælo suo, sed vt illi, cui

——totum vertigine tectum
Ambulat, & geminis consurgit mensa lucernis.

Propos. III. Spiritus mundi est aura ætheris, purior, & vitalis, qui Solem, titaniaque astra spiritus intus alit, totamque diffusa per artus mens agitat molem: adeoque mūdum communione quādam partiū, ac virium conspiratione, moderatur, iuxta consensum omnium rectè philosophantium. Hi omnes rectè philosophantes sunt nimirum soli *Pyrotechnici* fratres tui. Requiro hîc in te, Helmonti, iterum *bonam fidem*. Ais, me *carpere Gceler iū immeritum, ausu planè intolerando*, hac ipsâ in re. Cur dissimulas, me ostendisse vanitatem, imò impietatem huius *Spiritus*, in Heautontim. Sect. 24. ac probasse non quamuis in hâc tuâ Philosophiâ esse impietatem, sed veri nominis HÆRESIN, & IDOLOLATRIAM? Quæ ibi dixi, hîc non repetam. Videat, cui vacabit, & lubebit.

V. PROPOS. IV. *Etiam Carni est sua imaginatio, & voluntas electiua.* (p. 75.) Aliam hanc intelligis, ab eâ, quæ dicitur *voluntas hominis* ipsius; vt ex verbis tuis eâdem pag. clarè apparet. Hoc est ex ijs, quæ suffecerit

posuis-

posuisse, sine aliâ refutatione. Nam quis affirmanti tibi tam stolidum paradoxum credat? Quæ ex Scripturâ affers ad probandum, ijs locus erit infrà. Sequitur aliud tuum Pronuntiatum, quod Lectori excutiet admirationem, si quam in proximo conceperat.

Propos. V. Non tantum sanguini, sed & humoribus, & cibis, & excrementis, inest Phantasia, & appetitus magicus. (pag. 125.) Apage cum tuis *excrementis*. nimis quidem hæc sordida, & fœtida Incogitantia est. *Phantasiam*, & *Imaginationem*, pro eodem ponis, vt apparet pag. 129. contextu iuncto cum margine. Id lubuit notare, ne Lector quispiam curiosior, me tibi arbitretur affingere, si alterum pro altero posuisse videar. Nam adhuc de *Phantasiâ* mira fundis, quæ non videntur hoc loco negligenda.

VI. *Propos. VI. In homine sita est energia, quâ solo nutu, & Phantasiâ suâ, queat agere extra se, & imprimere virtutem, aliquam influentiam, deinceps per se perseuerantem, & agentem in obiectum longissimè absens.* Hoc pronuntiatum ter, vnicâ pag. 129. vocas MYSTERIVM: & quidem, tum *Notabile*, tũ *Ingens*. Quid de eo sentiam, sciebas ex meo Heaut. Sect. 30. §. 5. vbi voco *Pseudo-Alchymistas, eos, qui Phantasia, & Imaginationi*

vim aſcribunt;mirabilia operandi extra imaginantis corpus. Attuli,præter alia exempla, *Burggrauij armorum fabricationem*: in quâ princeps illud præceptum eſt: *Ad incudem, & fabricam ſtabis;obfirmato animo,& imaginatione fortiter eleuatâ, & affectu exaltato, &c.* Tu, his diſſimulatis, ſimilia deliramēta *Myſteria* vocas *ingentia*. Simili quinetiam ratione, doces fabricari *acum nauticam*, adhibitâ imaginatione, *quæ ſine vllo alio auxilio, polum notet.* (pag.130.) Nec te pudet addere, *Acum, quæ ſuper eâdem lineâ fiat caſualiter,& inſcio fabro, inanem eſſe, nec polum notare.* Itaque concludis, ſapienter admodum, vt tibi videris; *Imaginationem fabricantis, eam vim chalybi imprimere.* (pag.131.)

VII. PLVRA his, & maiora, (ſi te audimus) poteſt *Imaginatio*. Audi, Lector, & ride, aut ringere.

Propoſ. VII. Omnes omnium rerum ſpiritus, ac velut eſſentiæ, in nobis latent; & microcoſmitratrice Phantaſiâ, dumtaxat naſcuntur, & educuntur. (p.108.) & ibidem:

Propoſ. VIII. Anima concipiendo generat quandam ideam rei conceptæ: quæ, vt antea latebat, velut ignis in ſilice, ita concitatione Phantaſiæ, producitur quædam idea realis, & eſſentialis determinatio quidditatiua, &c. Ingens *Phantaſiæ* imperium nobis narras, Helmonti.

ti. Certè tum alibi, tum maximè hic, multum tibi imperauit. Si nimium progressus es, *incogitantia* facile te excusat. Iam, ne hæreat Lector, quidnam hæc *Idea Realis sit*, ita explicas eâdem pag.

Propos. IX. Non est qualitas nuda, sed, aliquid substantiæ simile, inter corpus, & spiritum, id est, animam ambigens. Id est ita spirituale, vt non sit planè corporea conditionis exors. Tune, Helmonti, tam sępe, & tam grauiter me carpas, quòd non probem, quæ contra Goclenium in meâ Anatome affero (in quâ tamẽ, vt in Thesibus, nihil probandum, sed ponendum tantum erat) & tu hæc talia monstra, tales quisquilias, mundo sine vllâ probatione obtrudas: qui tamen in *Disputationis* tuæ fronte profitearis, te, *docentis more, ratione positiuâ, exemplis lucidata verissimis, tua roborare firmissime*? Vbi ea robora sunt?

VIII. PERGE tamen, & absolue, de illo Conceptu, & Partu animæ. Tutus delitescis, sub *Domina Incogitantia*, Mineruæ tuæ

——*Clypei septemplicis orbe.*

Propos. X. Hæc Entitas Idealis, cum ex mundo inuisibili, & intellectuali, Microcosmi, excidit, corpus induit, & tum prius loci, & numerorum determinationibus clauditur. (pag. 109.) Claudamus & nos hîc hoc argumentum: nam quo vltra progrediaris, non ha-

bes. Nisi fortè hâc quoque in re, affectari velis sanctissimum tuum *Arcanorum Monarcham Paracelsum*, qui ad reliquam suam insaniam hoc addidit; *homines ab Adamo originem non ducentes, neque animâ immortali præditos, consequi animam immortalem, & participem redemtionis Christi, per coniugia, quæ cum hominibus ijs contrahunt, qui ab Adamo originem ducunt.* Vide meum Heaut. Sect. 12. §. 5. Prop. 1. 2. 3. 4. Aliquanto hoc plus est, quam tuum delirium: nam tua quidem Substantia spiritualis, corpus induit: *Bombasticorum* autem *homullorum* mortalis anima, immortalitatem.

IX. PLVRES Propositiones restant, nihilo his saniores. Exemplo sunto hæ de vitâ, & sensu.

Propos. XI. Magnes viuit, nouit, sentit, imo varios sensus vnicus magnes habet. Imo habet & amoris, & philautiæ stimulos, & phantasiã naturalem. (pag. 114. 115.) Non adeo mirum est, Lapidem viuere. Illud magis.

Propos. XII. Omnis Creatura viuit suo modo. (p. 70. in marg.) Item: *Omnis Creatura per* VITAM, *essentiam, existentiam, &* SENSATIONEM, *Creatoris maiestatem, liberalitatem, & præsentiam, attestantur.* (ibid. in contextu.) Item: *Is, qui totus vita est, res omnes creat, nullamque ideo è manu suâ mortuã*

expe-

expectandam promisit. (pag.116.) De his delitijs, imò de hac hæresi, quid cum Orthodoxis, & Ecclesiâ Catholicâ sentirem, dixi in meo Heautont. Sect. 24. §. 7. seqq. Solum inde hic transcribo verba S. Hieron. lib. 1. Comment. in cap. 8. Matt. *Error est hæreticorum, omnia putare animantia.* Sed audiamus, quid Helmontius de homine sentiat, de quo sunt eius hæc paradoxa philosophemata.

X. *Propos. XIII. Si* DEVS *agat per nutum, per verbum; sic oportuit hominem, si verum debeat dici eius simulacrum, agere nonnulla* SOLO NVTV: *neque enim id soli* DEO *vernaculum.* (p.87.D.) Hâc quidem ratione, Helmonti, poterit homo creare res ex nihilo, poterit cognoscere secreta cordium, poterit mortuis vitam redoere, cæcis visum, irato mari tranquillitatem. A page, cum hâc philosophiâ, hâc *incogitantiâ.*

Propos. XIV. Homo externus est animal, ratione, & voluntate sanguinis vtens: Internus vero homo, non animal; sed imago DEI *veri.* (pag.79.) Hâc tuâ sapientiâ prouulgatâ, Philosophis tui dissimilibus insultas: *Videant*, inquis, *ergo Logici, quàm defectuosè hominem à ratiocinij potestate definiant.* Vide, tu, quo te incogitantia abducat.

XI. DE DVPLICI hoc homine, alia mysteria prodis, quæ ego Lectori inuidere non debeo.

Propoſ. XV. Spiritus Externi hominis, viſibilis eſt. (p.82.) Cedo, an tu vidiſti? vbi? quãdo? quo colore imbutus eſt? An hîc quoq; imitaris Magiſtrum tuum *Paracelſum*? qui, cum quatuor hominum genera, præter eos, qui ab Adamo, poſuiſſet; veritus, ne non crederentur eſſe: ait, *ſe eos vidiſſe, familiariterque cum ijs egiſſe.*

Propoſ. XVI. Anima non ſeparatur à corpore, niſi ſeriò, nec reconnectitur. Quæ tamen reconnexio, exterioris hominis ſpiritui eſt alias vernacula. Senſus eſt, ſpiritum exterioris hominis ſic ab homine ſeparari, vt ſuâ vi eidem denuo coniungatur. Sic, ſi Propoſitionem 14. conſideres, homo ſæpe deſinit eſſe animal. Ex quo ſequitur, Pyrotechnicos, qui hoc patiuntur, ſæpe eſſe ſtipites.

XII. DOCET *Paracelſus Monarcha tuus*, Medicos quandoque accedere debere *vetulas ſagas, ruſticos, circumforaneos*, & ab ijs, quorumdam morborum remedia diſcere; *plus enim ſciunt*, inquit, *quàm Academiæ Profeſſores omnes.* Videris tu huic præcepto paruiſſe, vt apparet ex hâc tuâ doctrinâ:

Propoſ. XVII. Radius aliquis ſpiritualis à Zagâ (ſic tu perpetuò vocas, quam alij, *Sagam*) *abit in hominem, aut brutum, quod interimendum ſtatuit.* (pag. 96.) Item: *Ad zagam, diſſolutione ſuus retromeat ſpiritus.* (pag. 97.)

97.) Nisi tua verba ponerem, Helmonti, quis crederet, tantum in te posuisse *incogitantiam*, vt talia scriberes? De zagis tuis alia habes, quæ referemus inter tua Theologica. De Philosophiâ tuâ Naturali tantum annotasse sufficiat.

XIII. Ex QVO iudicet eruditus Lector, An iure glorieris (pag. 16.) *Naturæ Interpretes solos fideles esse Pyrotechnicos*, atque adeò *ab ipsâ Naturâ in filios optatos*. Tum etiam, An rectè Aristotelicam Philosophiam passim vellices, quæ magno Ecclesiæ Catholicæ consensu, toto, quàm latè patet, Christiani Orbis ambitu, in Academias, & Vniuersitates inducta, & cum plausu recepta est, approbantibus Summis Pontificibus, Cæsaribus, Rebuspub. Adde, quòd (vt rectè annotarunt nostri Conimbricenses, Procem. in Dialect.) *aliorum Philosophorum sectis penè iam extinctis, ac sepultis, Peripatetica familia in dies augeatur, & efflorescat: eiusque doctrinam non solum ij, quibus nondum cælestis disciplinæ lumen affulserat, summo olim studio amplexi fuerint: sed etiam multis iam ab hinc seculis, & Philosophi, & Theologi Doctores, diuinæ fidei splendore illustrati, in maximis, & grauissimis quæstionibus explicandis: neq; tantum in Physicis, & Dialecticis; sed etiã in Moralibus, & Diuinis, frequenter vsurpet.*

Et tamen hâc reiectâ, vis nos sequi tuum *Monarcham Paracelsum*, hinc à *Rusticis* in popinis; inde à *Sagis*, & *Veneficis* Philosophiam suam haurientem. O nimis præcipitem tuam, Helmonti, *incogitantiam*!

VI.
INCOGITANTIA HELMONTIJ in Theologiâ prophanandâ.

1. SI MEMINISTI, Helmonti, cum *Pseudo-Alchymistas* in Goclenio *Heautontimorumeno*, describerem, (Sect. 30.) etiam illud in ijs deprehendi, & reprehendi; Quòd *cum sint Medici, & nihil amplius, aut sæpe tantum Medicorum ineptæ simiæ, nihilominus Theologos agant, & audacissimè sacram Scripturam, ad suas vanissimas nugas detorqueant. In quo, si vsquam alibi, stolidos, & fanaticos se ostendũt.* Hæc mea ibi verba. Quæ, quàm rectè in te quadrent, paucis hîc ostendam. Ac primùm quidem generatim agam de *Theologiâ*: tum magis propriè de S. Scripturâ. Eamus iterùm per Propositiones.

Propositio I. DEVS *doctrinæ suæ dator, vna est interpres*, (pag. 3.) Hæc Propositio à te ponitur, vt pro arbitrio explices quidlibet, neque quispiam se immiscere audeat, multo minus carpere, cum DEVS tibi & scientiam, & eius interpretationem per Ange-

Angelum impartiuerit. Simillima, & planè gemina est Caluinistarum stropha, qui nobis Ecclesiæ, & Patrum authoritatem vrgẽtibus, Priuatum suum spiritum obtrudunt. Vide, ante, hominem Catholicum, decuerit hos æmulari.

II MIRA omnino sunt, quæ de *Naturæ donis* philosopharis (pag. 93.) quæ dormire doces, & excitari. Sed hoc ibid. vide an satis pium & Catholicum:

Propos. 2. *Exercitia pia Catholicorum, nẽpe Contemplationes, continuatæ orationes, vigiliæ, ieiunia, & mortificationis actus, huc spectãt, vt deuictâ carnis somnolentiâ, potestatem illam agilem, cœlestem, & expeditam in* DEVM, *nanciscantur, eumque coram alloquantur suauiter: qui non nisi in spiritu, id est interioris hominis fundo, adorari efflagitat. Huc, inquam, spectat ars Cabalæ, quæ potestatem illam naturalem, & magicam, velut excusso somno, animæ restituat.* (p. 93.) Vtinam DEVS, tibi, Helmonti, excussâ istâ tam perniciosâ *incogitantia*, rectiorem doctrinam, & meliorem mentẽm restituat! Tune illa tanta, quæ cõmemoras, illam *potestatem cœlestem*, & *in* DEVM *expeditam*, meris *naturæ donis*, nullâ factâ *Gratiæ Diuinæ* mentione, attribuas? Si hæc sunt, cur igitur Pelagius, & eius sequaces, pro hæreticis habentur? Cur ait A-

C 5 posto-

postolus: *Nemo potest dicere, Dominus* IESVS, *nisi in spiritu sancto*?

III. COGIS me de actionibus Sagarum hic aliqua dicere, quarum velut ex professo, patrocinium suscepisse videris.

Propos. 3. *Cum zaga absens occidit equum, virtus quadam naturalis à spiritu zagæ, & non à Satana, deriuatur, quæ opprimat, vel strangulet spiritum vitalem equi: & hic zagæ actus plane naturalis est.* (pag. 94. & 95.) Dic, rogo te Helmonti, sed dic serio, dic candidè, & ex animi tui sententiâ. Tune deterior es zagâ? intellige, quid velim. Tune, inquam, minus potes naturalibus tuis viribus, quàm zaga suis? Dic, quæso, clarè. Si infirmiorem te agnoscis, nimium certè tibi adimis, nimiũ Veneficis tribuis, idque sine ratione. Sin te præstantiorem putas; qui fit, quòd homo Catholicus, tam malè de Religione, de Principe, de Patriâ, de cognatis, & vicinis tuis mereris? Facili Magnetismo hostes omnes perdere potes, idque actu planè naturali, idque iustissimè, quippe DEO, ac Principi suo perduelles, & Patriæ perniciosos: & cessas, & impunè tot iam annos volitare permittis? Si mihi dicas, Equos interfici Magnetismo posse, non homines: primum, pro arbitrio hoc fingitur, nec ratione vllâ nititur. Deinde, saltem hostium equos inte-
rime-

rimeres, vbi pugna equeſtris inſtat, aut alioquin equorum vſus neceſſarius eſt. Magnũ vtique hoc noſtris hominibus emolumentum afferret. Video, quid dicere poſſis. Sagæ ſpiritus à Satana excitatur: tuus non excitatur. Quid? tu ille naturæ filius, naturalem tuam vim excitare non queas? Durum hoc videtur. Sed tamen demus hoc tibi, te non poſſe. At Genius tuus, Angelus tuus Cuſtos, in re tam honeſtâ, tam neceſſariâ, vel tibi deſit, vel inferiorem Satana ſe fateatur? Duræ hic ſunt partes tuæ, ſi clarè, & preſsè reſpondere velis.

IIII. Propoſ. 4. *Cuiuſcumque bruti anima, vim habet* CREANDI *entitatem realem; & per voluntatem, dimittendi eam longius extra ſe, idque ſolo nutu. Talis quoque eſt virtus habitans in ſanguine multorum animalium, &c.* (pag. 122.) Nihil contra hanc affero, Satis ſe ſuâ impietate refutat.

Propoſ. 5. *Cum Exorciſmi non operantur, defectus non eſt in* DEO: *ſed tantum, quia mens inexcita Exorciſtæ, verba reddit torpida. Itaque nemo felix Exorciſta, niſi qui virtutem Magicam excitare ſuæ mentis, nouit; vel ſine ſcientiâ, poteſt.* (pag. 135.) Hæc iam *incogitantia* prorſus intolerabilis eſt. Tune *Magicas*, & *Magneticas nugas* miſceas Eccleſiæ Myſterijs? Ergone potuit DEVS per *pueros*

pediſ-

pedissequos pauculos, ingētem Syrorum exercitum fundere, & fugare. (lib. 3. Reg. c. 20. v. 14. 19. 20.) & non poterit nefarios spiritus eijcere per *Exorcistam magicè non excitatum*? Plures restant similes Propositiones, quæ oportunius fortasse ad alia capita referentur, quæ deinceps sequuntur.

V. MONENDVS hoc loco mihi denuo es, Multò te rectius facturum fuisse, si Theologica non attigisses. Nam quo id iure facis, cum nolis Theologos Naturalia attingere? qui tamen fere semper Philosophiam Naturalem tractarunt, antequam ad Theologiam accederent. Scio *Pseudo-Alchymistas*, tuos symmystas, pro Theologis haberi velle, vt ostendi in Heaut. Sect. 30. Et fortè eos intelligis (p. 109.) vbi ais: *Obiectum intellectus, nuda ac pura in se essentia est, non accidens, consensu Theologorum Practicorum, id est, Mysticorum.* Horum familiam videlicet ducit Paracelsus, quem ignorantissimum, non puduit scribere, & vulgare Opera Theologica. Sed hâc Propositione tuorum *Practico-Mysticorum* (vt hoc obiter in trāscursu notem) non vides effici, vt nihil homo Christianus intelligere possit de Fide, Spe, Caritate; nihil de alijs virtutibus, aut vitijs; quæ vtique accidentia sunt: nihil de DEI gratiâ, nihil de gloriâ, sine quibus, cur,

quæso

quæſo Chriſtiani ſumus? Quod ſi hæc non magni facis, ſaltem vide, quid cõtra teipſum hinc conficiatur. Præfatione ad *Genium* tuum, cum ſcientias omnes reijceres (pag. 1.) *Matheſin* excepiſti. Quid, quæſo, in illâ cognoſcere potes, ſi *Accidentia* exceperis? Tolle enim *Motus*, *Magnitudines*, *Numeros*, *Proportiones*, & alia id genus; quid in *Matheſi* tibi reſtat? Nam cæli, & terræ ſubſtantiam ipſam conſiderare, Phyſici potius negotium eſt. Poterat hoc inter Philoſophicas tuas Propoſitiones referri: ſed difficile eſt, dum de vno agitur, non impingere in aliud, maximè vbi variè in eodem peccatur.

VI. NON POSSVM hinc abire, quin vnum addiderim, quod meritò mihi propriâ quâdã ratione dolet, quòd *Patriæ meæ Diuũ Tutelarem* attingat: in cuius rebus, & admirandis inquirendis, ſcribendis, explicandis, ex profeſſo verſor. S. HVBERTVM dico: cuius tu Miraculum ſtupendum, toti Orbi notum, & ſalutare, tuis Magneticis nugis prophanare auſus es. Sed, cum cogito, cum non in ſolo illo peccaueris Miraculo, rectius fortaſſe ad propriam *Incogitantiam* referemus.

VII.

VII.

INCOGITANTIA HELmontij in Miraculis ridendis.

I. PARACELSVS magister tuus, lib. 4. *de causis morborum inuisib.* Sanctorum Miracula à *Mumiâ* ipsorum, naturaliter fieri vult. *Non secum reputarunt,* (inquit, loquens de Sanctorum, & Reliquiarũ cultoribus) *quòd sicut Magnes magnam copiam ferri ad se trahat: ita etiam homo homines ad se polliciat.* Item: *Quod arcana corporis alicuius in sepulcro, signa faciunt, & auxiliantur ægrotis fit eodem modo, ac si quem sanarent Thermæ.* Ab hoc tu, Helmonti, ista didicisse videris.

Propos. 1. *Flocculus de stolâ* S. HVBERTI, *intra frontis cutem demorsi à rabido, solidatur, & in posterum à nullâ ferâ rabidâ feriri potest, dentesque arcet flocculus.* Id fit per Magnetismum. (pag. 46 47.)

Propos. 2. *Sudor in sudario D. Pauli esto vnguentum Magneticum: sudor verò ægrorum, vel etiam insensibile effluuium, ab ÿs effluens, esto sanguis vulnerati, intra vnguenti pyxidem bacillo positus; è vestigio tota vndique noxa ex ægro magneticè trahitur: idque eo fit potentius, quo magnes ille supernaturalis, maioris est efficacia.* (p. 46. 47.)

II. AD

II. AD DVO hæc particularia exempla, addis generalia pronuntiata, quæ Catholicum animum non possunt non grauiter vulnerare.

Propos. 3: *Par est vtrobique ratio, & par modus.* (nempe *Magnetismo* vtraque curatio perficitur, quæ Vnguento Armario, & quæ Sanctorum Reliquijs) Vnde *Sanctorum Reliquiæ multum saltem hoc nomine sunt venerandæ.* (pag. 47.) Et eâdem.

Propos. 4. *Reliquia Sanctorum, vt Vnguēto Magnetico proximiores euadant, è quibusdam fontem olei, liquoris balsami indesinenter stillantem excitauit nostri misertus* DEVS: *quo scilicet magnetico remedio vtrobique suffulti,* CERTO *sciamus, Curationem Magneticam* DEO *acceptam, & in vtroque mundo, consimili ordine, pari passu, vnoque ductore ire.* Quænam tandem hæc est impij magnetis labes, qui non contentus castam naturam incestare; etiam DEI Omnipotentis vim, Mirabilium extra ordinem, effectricem, contaminare satagit? Cedo, quid est DEI, & Diaboli opera, paria facere, & pariter reuereri, si hoc non est? Saltem vnum nobis, Helmonti, exemplum produceres, vbi Sancti alicuius Reliquiæ, ad hominem seruandum, ipso homine relicto, telo applicentur, quo homo vulneratus. Tale esset, si flocculus ille è stolâ

S. Hy-

S. HVBERTI, denti canis rabidi affricaretur, qui hominem morsu offendit. At id, non modo histrionicum, vt in tuo Vnguento Armario; sed & insigniter impium esset. Quomodo ergo hæc *consimili* adeò *ordine*, & *pari passu eunt*?

III. PERGIS tamen hæc æquare, & allatis circumstantijs, eam æqualitatem explicare, & illustrare. Iterum eâdem pag. 47. & seq. 48.

Propos. 5. *Hinc nempe Reliquiæ recentes plura, & augustiora edunt miracula, vel vbi transferuntur, tanguntur, &c. quia necesse est, Magnetem fricari, moueri, si ipsum trahere oporteat.* Heu! Helmonti, quò raperis? Hactenus Catholici homines illam Curationum gratiam tribuerunt piorum hominum precibus, Sanctorum deprecationi, & DEI in primis bonæ voluntati: qui vt *singulis*, teste Apostolo, *diuidit prout vult*; ita & quando vult, & quantum vult, & quam diu vult. At tu attribuis *motui*, & *fricationi*, vt sic omnia seruiant Paracelsi inuentioni, & tuæ, paucorumque tui similium opinioni. Quæ vtinam nunquam in Christiano Orbe audita esset, ad simplicium, aut curiosarum mentium subuersionem.

VIII. IN-

VIII.
INCOGITANTIA HELmontij in Sacræ Scripturæ corruptione.

I. MIRVM, atque adeò incredibile memoratu est, quo hominem *affectus* deducat, vbi eum semel occupauit. Etiam ad vana, ad paradoxa, ad superstitiosa, ad impia. Non amplius quærendum est,
——— *An qui amant, ipsi sibi somnia fingant?*
certa res est. Et quidem —— *velut ægri somnia* —— *vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ* —— Talia sunt tua, Helmonti, quæ adeò tibi placuerunt, vt omnia illis subseruire velis, Philosophiam, Theologiam, Miracula, Sanctorum Reliquias, & quid non? Quid non? inquam, quando & Sacrosancti diuinarum Scripturarum Codices, velut obtorto collo, eò trahuntur? Decernit S. Tridentina Synodus (sess. 4.) *ne quisquam sacram Scripturam ad suos sensus detorquat: ne ad profana, fabulosa, vanas superstitiones, abutatur.* Tu, Helmonti, abuteris ad profanissima, vanissima, fabulosissima, & superstitiones planè diabolicas: & insuper tibi plaudis. Facio tibi magnam iniuriam, nisi

hæc clarè oſtendo. Faciam hoc, ſumtis ex libello tuo exemplis,& ordine librorum S. Scripturæ, propoſitis.

II. LOCVS 1. Geneſ. 2. v. 9. & 17. nominatur *lignum ſcientiæ boni & mali.* Cap. 3. v. 5. dicuntur, qui guſtauerint, futuri *ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum:* & v. 22. de ijs, qui ederant, dicit DEVS: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* His locis, quàm peritè vtaris, videamus. Pag. 5. ais, *ſcientiam fuiſſe eſu pomi acquiſitam.* Pag. 9. *In ſomno ſubindè totam pomi ſcientiam dormire;* & pag. 91. *conſopiri.* Pag. 103. *Animam velut ſomnolentam, per ſcientiam, pomi eſu acquiſitam, redditam.* Denique pag. 116. omne rationis terminos egreſſus, ipſi *Pomo ſcientiam* tribuis, & *Phãtaſiam. Nonne multam ſcientiam in pomo fuiſſe credimus?* inquis, *eiuſque eſu Protoplaſtos ſcientiam vnà eſitaſſe, & intus concepiſſe? & an non ſcientia, phantaſiam ſui generis præſupponit?* Quis tandem hæc expectare poterat ab eo, qui ab *Angelo Cuſtode* edoctus ſit? Atqui ſcire te oportebat, Helmonti, loca illa, à me allegata (nam tu nullum produxiſti, ſed tamen neceſſario ad illa alluſiſti) nihil quicquam habere, quo tuum illud inauditum paradoxum iuuetur.

III. NAM, generatim vt ſemel dicam, non aliâ

aliâ ratione *Lignum* illud, siue arbor vocata est *scientiæ boni, & mali*, quàm quòd eius eiu tactum est, vt, quemadmodùm antè sciebant bonum experientiâ, scirent itidem, miserâ heu experientiâ, magnum omnino malum, quod, fructum edendo, incurrerunt, nempe peccatum, & illud infinitorum malorum diluuium, quod peccatum consecutum est. Inter quæ mala, Theologorum consensu, & *Ignorantia* fuit: pro quâ tamen tu *scientiam* substituis, quam lepidè ais, *Protoplastos vnà cum pomo esitasse*. Addo, in primo Genes. loco, à Moyse *Lignum* vocari *scientiæ boni, & mali*, per prolepsin, siue anticipationem; quia videlicet postea sic vocatum fuit. Iam, vt sigillatim de singulis locis dicam, primus, quo sensu intelligendus sit, patet satis ex ijs, quæ iam dixi. Secundus, nihil habet, nisi mendacissimam pollicitationem Infernalis Serpentis Diaboli. Itaque restat, vt in tertio totam vim ponas. Quid ni ponam? inquis. Non iam Diabolus, sed DEVS est, qui ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Scio, Helmonti, & fateor. Sed videndum, quo sensu ea prolocutus sit DEVS. *Sarcasmus* videlicet est, & amara irrisio, quæ contrarium planè intelligi vult, quàm verba sonant. Huius

rei, præterquam, quòd ratio dictat sic intelligendum, authores habeo *Gennadium*, *Theodoretum*, *Epiphanium*, *Teodorum Heracleoten*, *Augustinum*. *Rupertum*; & recentiores *Delrio*, & *Pererium*. Tu vide, quos his opponas; & caue *incogitantiam*.

IIII. LOCVS 2. Pag. 99. *In sanguine, etiã post mortem, inest suis præsentis homicidæ sensus, sua quoque phantasia. Ideo non ipsius Abel, sed innocens sanguis eius, clamat tamen in cælum vindictam.* Pag. 100. mirificè explicas illud vindictæ desiderium, & patrationem. *Fortissimæ impressiones*, inquis, *in spiritum sidereum morientis relinquuntur posthumæ: qui mox ab obitu, in aere oberrans, suæ classis, id est, spirituales nocendi, ac vlciscendi modos cõminiscitur, & promtus patrat.* Tu hæc comminisceris, Helmonti, quæ innocenti spiritui affingis. Sed absurdius commentum est, quòd huius commenti authorem nobis obtrudis sacram Scripturam. Gen. 4. v. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Hinc tuum commentum velle elicere, aut roborare; vt tibi simpliciter dicam, est scripturam corrumpere. Nam tota hæc sententia illud tantum vult, Parricidij reatum terribilem apud DEVM vindictam expostulare: id est, DEVM ad vindictam excitari, dum atrox illud facinus conside-

ſiderat. Acutè tibi videris dicere, *non ipſum Abel clamare, ſed eius ſanguinem.* Quid dicis, cum legis (Heb.12.24.) *Chriſti ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quam Abel?* Quid, cum Apoſtolus Iacobus (cap.5.4.) ait, *Mercedem operariorum, quæ fraudata eſt, clamare?* Quid cum audis Angelum (Gen.19.13.) *increuiſſe clamorem Sodomorum coram Domino?* Et, vt propius te premam, quid, cum *clamant* (Apoc.6.10.) *interfecti voce magnâ?*

V. AD EXTREMVM, ex profeſſo, &, vt Schola loquitur, formaliter tibi ſcriptura reclamat, cum ais, *Non ipſum Abel clamare.* Nam audi Apoſtolum (Heb.11.4.) ABEL *defunctus adhuc loquitur.* Remoue, obſecro, tam inconſideratam *incogitantiam.*

LOCVS 3. Leuit.3.17. *Nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Item, cap.17.11.14. *Anima carnis in ſanguine eſt.* Item Deut.12.23. *Ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorũ pro animâ eſt : & idcirco non debes animam comedere cum carnibus.* Ex his locis rectè probari putat meus Helmontius, *Sanguinem eſſe animatum,* etiam tum, cum iam *extrauenatus* eſt, vt ipſe loquitur, atque adeò *coctus.* Nec ſemel hoc dicit, ſed repetit ſæpius, pag. 106. 122. 126. 132. Sed nobis non perſuadet. Neque enim aliud vult Scri-

ptura, nisi, *Sanguinem* esse *Animæ*, id est *vitæ, vehiculum*; quia videlicet sanguine alitur, & conseruatur vita. Item nutrimentũ est. & tutela vitalium spirituum. Præ alijs enim humoribus, calorem naturalem, & humidum radicale ministrat & fouet. Denique est sanguis in homine, sicut oleum in lampade. Ita fere allata Scripturæ loca explicat S. Augustinus, quæst. 57. in Leuit. quẽ vide, & audacter ei potius, quàm Helmontio, crede.

VI. LOCVS 4. Lib. 1. Reg. cap. 18. v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid: & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Quid hinc conficis, Helmonti, & quomodo locum hunc pro te exponis? Ais, (pag. 106.) *Spiritus cum spiritibus agere, & amicari; idq; te ostendisse exemplis magneticis, & rationibus proprius, pro fascino, & ligationibus animarũ, prout de Dauide & Ionatha, &c.* Non agnoscimus hic, Helmonti, nisi honestissimum amorem: neque *conglutinatio* illa aliud significat, nisi *alterum dilexisse alterum quasi animam suam*, vt verba ipsa sonant. Et satis notus est frequentissimus Hebræorum idiotismus, qui geminato orationis membro sic vtuntur, vt posterius sit prioris explicatio. Proinde apage cum impio *fascino*, & veneficarum *ligationibus*.

Locus

LOCVS 5. Lib. 4. Reg. cap. 5. v. 27. Elisei Prophetæ verba sunt ad impium seruum suum Giezi: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus, quasi nix.* Cuinam in mentem veniret, à quoquam hæc verba vsurpari posse ad stabiliendos impios, & diabolicos Magnetismos? Audi, Lector, Helmontij hâc etiam in re *incogitantiam*, & obstupesce. Pag. 25. & 26. impiam medicinam docet, quâ *ægritudo ab homine in canem trahitur & abit; non secus*, inquit, *atque in Ghiesin lepra Naamani, execratione transmigrauit.* & pag. 28. non sine insultatione: *Quasi*, ait, *non eadem lepra è Naaman in Ghiesin esset traducta & icterus idem* NVMERO, *in canem transplantatus.* Æquè clarè in margine: *Idem numero morbus subiecta mutat.* Itane tandē, Helmonti? *Eadem numero Lepra* è Naaman in Giezi transmigrauit? Mitto Philosophiā tuam: de quâ suprà actum. Huius loci indignam corruptionem iam specto.

VII. LEPRA Naaman iam antè fugerat, Helmonti; Nam *restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.* v. 14. Iam mundus venit ad Eliseum; munera repugnanti mundus obtulit; mundus duorum burdonum terræ onus petijt; mundus abijt. Interea impius Giezi insequitur, mentitur,

munera petit,& accipit, cum pueris Naamã vesperi domum redit, vestes reponit, viros dimittit, & ingressus stat coram domino suo. Ab illo examinatur, mentitus conuincitur, ac demum leprâ percutitur. Hæc omnia sacer textus disertè narrat. Iam dic, Helmonti, vbi interea *eadem numero lepra* hæserat? Certè non in Naaman, qui *mundatus* erat: non in Giezi, qui tanto post leprâ infectus est. Vbi ergo tandem fuerat? an alicubi in aëre expectabat, dum infelix seruus peccaret, & peccando eam incurreret? An fortè Pyrotechnici non aliter morbos sanant, nisi vt alijs, velut hæreditate, immittãtur? Si à me quæras, Quo igitur modo Lepra Naaman dicatur, si Naaman non erat? facilis responsio est. Sat est, fuisse lepram similem, atque adeò eamdem, non *numero*, vt fingit tua *incogitantia*, sed *specie*.

VIII. LOCVS 6. Sapient. 1. 7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Huius loci sensus minimè dubius, aut difficilis est, si antecedentia, & consequentia inspiciamus. Nempe, Spiritus S. omnium & cogitationes, & sermones probè nouit, ita, vt frustra sit, qui illum quicquam latêre velit. Helmontius (pag. 11[illegible].) cum vellet probare, *omnia viuere*; neque *rem vllam esse, in qua is,* *qui*

qui totus vita est, non elucescat præsens: ita id conficit: *Spiritus Domini totum repleuit orbẽ terrarum: imo hoc, quod continet omnia, vim vocis habet*. Mitto reliqua. Sed quid in mentem venit homini, qui se *Catholicum Romanum* profitetur (pag.137.) vt VIM *vocis* scriberet, quod in Biblijs Romanis legebat SCIENTIAM? Græcus contextus habet, γνῶσιν ἔχει φωνῆς. Vbi vnquam legit, γνῶσιν significare VIM? Helmonti, hæc est corruptio, quæ neque in Germanicis Lutheri; neque in Gallicis Biblijs Caluini reperitur. Doleo vicem tuam. Vidè, quid potest affectus cum infelici incogitantiâ.

LOCVS 7. Matth.6.v.21. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Idem Luc. 12. v.34. Hic vtriusque Euangelistæ sermo, imo Christi ipsius, ita clarè significat, affectum, & cogitationem nostram eò ferri, vbi Thesaurus noster est, id est, quod thesauri instar amamus, cumulamus, custodimus; vt nemini Interpreti aliud vnquam in mentem venerit. Venit tamen longè aliud Helmontio. Pag.78. *En*, inquit, *habes nunc rationem positiuam Magnetismi in vnguento naturalis, ex Magiâ naturali depromitam; cui assentitur lux veritatis: Vbi thesaurus, ibidem cor, inquies. Si etenim thesaurus in cælis sit: tunc cor, id est, hominis interni spiritus, in* DEO *est. Sin*

verò in caducis thesaurus configitur; tunc quoque exterioris hominis cor, & spiritus, in caducis est. Non erat satis, Veteris Testamenti Scripturam Magnetismis seruire, nisi Euangelia quoque eò traherentur; & *Christi* DEI verba, cogerentur *Diaboli* opera confirmare. Sed non hîc sistit Helmontiana *incogitantia.* Dixi paulò antè, nemini Interpreti vnquam in mentem venisse, aliud hîc doceri, quàm cogitationem, & affectum hominis eò ferri, vbi id est, quod diligit. Helmontius omnes Interpretes, tamquam *friuolos*, reijcit, vt suis Magnetismis præsidio sit. Nec laborat, sancti ij sint, Veteres, Noui. Omnes Magnetismis cedant necesse est. Audiamus illum. *Nec est*, inquit, *quod mysticum sensum afferas: sumendo non spiritum, sed cogitationem, & desiderium nudum pro corde.* FRIVOLVM *etenim contineret, quòd vbicumque homo suâ cogitatione thesaurum collocaret; ibidem sua esset cogitatio.* Sic quidem, Helmonti, FRIVOLAM interpretationem hactenus attulerunt Patres omnes, atque adeò tota Catholica Ecclesia, cuius te filium profiteris. Modestius, quæso.

IX. COGIT me Christiana caritas, monere te hoc loco, Helmonti, *Formulam Professionis Fidei Catholicæ* vt memineris, quam te publicè fecisse necesse est, si vnquam *Gradum*

dum aliquem dignitatis(vt ego arbitror) in Philoſophiâ,aut Medicinâ,ſuſcepiſti in aliquâ Vniuerſitate Catholicâ. Eius *Profeſſionis*, præter alia,etiam hæc verba coram amplissimo Catholicorum Academicorum conuentu, pronuntiaſti: *Sacram Scripturã, iuxta eum ſenſum,quem tenuit,& tenet ſanƈta mater Eccleſia,cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum,admitto: nec eam vnquam,niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum,recipiam,& interpretabor.* Tune id hoc loco,Helmonti, facis, qui *vnanimem Patrum, & totius Eccleſiæ conſenſum*, Magneticorum tartareorum gratiâ, FRIVOLVM vocas? Sed antequam ab hoc loco, & tam inſigni hâc corruptelâ abeo;alia quędam diſtinƈtius notanda ſunt. *Primum* illud eſt, quòd illum SS. Patrum, quem dixi, ſenſum, *Myſticum* voces, cùm ſit clariſſimè,& apertiſſimè *literalis,& hiſtoricus*.Non erat tuum, hoc iudicium vſurpare. *Alterũ*, quòd *Cor*, interpretaris,non cogitationem, aut affeƈtum;ſed *Hominis interni*, vt tu loqueris,*ſpiritum*: id eſt, *Animam*. Quis enim alius hominis ſpiritus eſt? *Tertium*,quòd alium conſtituis *Exterioris hominis ſpiritum*: atque ita duo ſpiritus in homine ſunt.Non debebas *Pyrotechnicâ* tuâ Philoſophiâ, etiã DEI verbum conſpurcare. *Quartum*,quòd
vtrum-

vtrumque illum ſpiritum *localiter, & realiter præſentem* facis *Theſauro*, id eſt, rei amatæ, etiamſi ab eâ homo procul abſit. Id patebit loco proximo. Hoc autem quid aliud eſt, quam hominem conſtituere ſine Spiritu, & ſine Animâ? niſi vel diuiſibilem ponas hominis Spiritum, vel aliquam Spirituum, in vno homine, legionem.

X. SED ALIAM tuam audaciam, ſiue mauis, *incogitantiam* videamus, & aliud cõmentum, huic commento fulciendo, inuentum.

LOCVS 8. Matth. 24. v. 28. *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Vide & Luc. 17. 37. Iterum hæc verba ſunt cæleſtis Magiſtri, quibus hoc nobis indicare voluit, aduentum ſuum ad Iudicium, ita omnibus fore manifeſtum, vt neminem latere poſſit, nemo diſſimulare queat: omnes eò concurſuri ſint, &, *velut aquilæ ad cadauer*, aduolaturi. Sic proximè antè ſimilitudinem *Fulguris*, omnibus conſpicui, poſuerat. Horreo referre Helmontij ad hunc locum, gloſſam, ab inauditâ *incogitantiâ*, profectã. Tamen, quia diſſimulare non poſſum, ſimpliciter, vt apud illum inuenio (pag. 78. 79) ponam. *Ipſa quoque veritas* (ſunt eius verba) *textum præſentem* (nempe proximè propoſitum, vbi Theſaurus, ibi cor) *non myſticè inter-*

terpretatur, adiunctoque exemplo, ostendit realem & localem præsentiam aquilarum ad cadauer. Iterum pag. 80. post nugas quasdam Paracelsicas, de *Magnetismo aquilarum*, (vt ipse loquitur) *ad cadauera*, victoriæ certus, ita concludit: *At quid opus est, auium magnetismum inculcare pluribus: si* DEVS *ipse, Philosophiæ initium, & finis, eumdē processum cordis & thesauri, cum auibus & cadauere, atque vicissim, expresse statuat?* Et mox: *Itaque non est comparatio cordis humani, & aquilæ, in fine, propter quem ad desiderium tendunt: sed in tensionis modo; nempe quòd alliciantur, & ferantur per magnetismum, realiter, & localiter.* Hinc denique ostendit vim impij Vnguenti Armarij: *Igitur spiritus, & voluntas sanguinis, è vulnere habiti; & in Vnguentum paxillo intrusi, tendunt ad thesaurum suum, id est, reliquum sanguinem, adhuc vitâ interioris hominis potientem.*

XI. VELLEM, cum ad hæc fundenda, infamis te *incogitantia* abriperet, oculis subiecisses, & animo, terribiles illas minas, sacrarum Scripturarum corruptoribus, tam seuerè intentatas: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet* DEVS *super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet* DEVS *partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sanctâ,* (Apoc. 22. v. 18, 19.)

18.19.) Non poteſt minus expectare, qui Euangelijs addit, vel detrahit, quàm qui Apocalypſi. Equidem miſericordiarum Patrem ſupplex veneror, ne horum quicquã in te decernat: quin potius animum tuum *ſcientiæ, & Conſilij ſpiritu* imbuat, quo, quid veritas, quid pietas, quid ius, & fas poſtulet, agnoſcas, & ſequaris. Dabo operam, vt hic quoque in partem iuuem. Attende, & Chriſtiano animo accipe; quæ dicuntur. Ais, *Ipſam Veritatem*, id eſt, Chriſtum, *textum de corde, & theſauro, interpretari non myſticè, &* ADIVNCTO EXEMPLO, *oſtendere realẽ, & localem præſentiam aquilarum ad cadauer.* Ais, DEVM IPSVM, *eumdem proceſſum cordis & theſauri, cum auibus, & cadauere, atque viciſſim*; EXPRESSE STATVERE. Ais, *Comparationem cordis humani, & aquilæ, eſſe in tenſionis modo; nempe quòd alliciantur, & ſtrantur per Magnetiſmum realiter, & localiter.* Deſunt mihi hoc loco verba, Helmonti, quibus meam admirationem, & iuſtiſſimam indignationem, non dico explicem, ſed obiter dumtaxat proponam. Indignationem dico, non in te; (quem video fatali *incogitantiâ* ferri, aut etiam rapi) ſed in amicos tuos, ſi qui libellum tuum, antequam publicaretur, viderunt. Neminémue vnum fuiſſe, qui Euangelij codicem ſaltem inſpiceret,

ceret.& videret, an illa, quibus adeò triumphas, satis cohærerent, vt te deinde moneret, ac honori tuo consultum iret? Vide, quanto ego amicior, quem tamen minimè amicè tractas.

XII. Germanum Scriptorem, suo in genere nobilem legi, qui cum aliâs Hæreticos multifariam & feliciter exagitauit; tum aliquando graphicè eorum in Scripturis, pro prauo suo dogmate, adducendis, ineptiam ostendit. Cum enim in suggestum concionaturus ascendisset, Euangelij textum aliquem de more, ipso initio, proposuit. Audi eiusce textus particulam: *Extractus autem retibus, amputauit auriculam eius dexteram, dicens: Amice, tolle quod tuum est, non facio tibi iniuriam. Dixitque illis; Pueri, nunquid pulmentarium habetis? at illi obtulerunt ei paralyticum, dicentes; Domine, ecce duo gladij hic.* Mitto cætera. In his, duo illa clarissima sunt: prius, Verba omnia ista, verbotenus esse Euangelij: posterius, tam ineptè inter se cohærere, vt irrisio potius Euangelij videatur, quam honorifica recitatio. Neque tamen bonus ille Concionator irridendi Euangelij causâ sic proponebat: sed vt hæreticorum ineptiam, vti dixi, in Scripturæ sacrilego abusu ostenderet: qui quantumuis meras Scripturas creparent; nihilo tamen

men magis cohærenter, & rebus conuenienter afferrent, quàm illa propositi textus verba aptè connecterentur. Quod ille mox luculentâ concione explicauit. Quorsum tandem, inquis, hæc narratio? Mi Helmóti,

——— *Mutato nomine, de te*
Fabula narratur ———

Non equidem *fabulam* narraui. Sed historia ista tam accuratè in tuam hoc loco Euangelij corruptelam, conuenit, vt ad eam explicandam, datâ operâ, conficta videri possit. Vereor, ne nimis diu te suspensum teneri dicas, Lector amice. Rem audi. Quomodo Helmontius meus, locum de *Thesauro, & Corde*, explicando corruperit, iam iam audisti. Iam, quomodo, per hunc alterum, de Aquilâ, locum, corruptelam illam probet, attende.

XIII. AIT, DEVM *ipsum* (iuuat enim repetere) *adiuncto exemplo, expreßè statuere eundem processum cordis, & thesauri, cum auibus, & cadauere.* Primum, fateor, Christum esse DEVM ipsum. Tum etiam, ab eo esse doctrinam illam vtramque, de *corde, & thesauro*; & de *aquilâ, & cadauere.* Sed eum inter hæc *comparationem* instituisse, aut *processum statuisse*, id verò pernego. Grauis incogitantiæ Helmontianæ lapsus est. Christus nihil tale vllo verbo, aut signo insinuat, nedum

nedum EXPRESSE STATVIT. Magna omnino hæc audacia est, Helmonti, &, quã Ecclesia ferre, aut dissimulare, non debeat, non possit, nisi incogitantia excuset. Tune hæc toties inculcs, quasi à Christo SIMVL proposita? cum ea ita seiungant Euangelistæ, vt prius quidem referat Matthæus cap. 6. posterius verò, cap. 24. Lucas autem cap. 12. & 17. Si dicas, Euangelistas non semper obseruasse ordinem rerum gestarum: hoc equidem tibi dabo. Sed hoc viciſſim mihi concedas necesse est, non nisi temere te cõiunxisse, quæ adeò disiuncta repereras; & non nisi audacter nimis Christo id attribuisse, vt ADIVNCTO *exemplo*, EXPRESSE *statuerit*, &c. Deinde: scito, iuxta optimorum authorum subductionem, *tempore* quoque multum à se mutuò abfuisse hos duos Christi sermones. Prior habitus est secundo Prædicationis anno: posterior, in fine tertij, non multo ante beatam Mediatoris nostri Passionem. Denique *toto fere biennio* interiecto hæc protulit: & tu tam sis incogitans, vt sæpius repetas, *ipsam Veritatem, ipsum* DEVM, *inter hæc comparationem instituere; alterum per alterum, tamquam adiuncto exemplo, confirmare: processum eumdem expressè statuere*? Helmonti, si hæc, quæ tam asseuerantur affirmas, ostendere possis; pol-

liceor ego bonâ fide, me quoque demonstraturum, optimè sensu, & tempore cohærere illa: *Amputauit auriculam eius, dicens: Amice, tolle, quod tuum est, non facio tibi iniuriam.* Et illa: *Obtulerunt ei Paralyticum, dicentes, Domine, ecce duo gladij hic.* Addamus, diuersissimi argumenti fuisse sermones, quibus duo illa locutus est Christus Dominus, vt cuiuis obiter modò inspicienti palam est.

XIIII. LOCVS 9. Luc. 10. v. 31. *Incidit quidam in latrones. Pertranseunt Sacerdos, & Leuita. Samaritanus autem alligat eius vulnera, &c.* Compendiò pono Parabolam satis notam. Audiamus eius explicationem ex Helmontio. Pag. 16. hinc probat, *Naturæ interpretes solos esse Spagyros. Postquam Sacerdos & Leuita transijssent in Iericho, successit Samaritanus Laicus, qui omne ius Sacerdotibus inquirendi rerum causas, eripuit. Natura idcirco* ABINDE, *non Theologos in sui interpretes vocauit: sed* SOLOS *Medicos in filios optauit:* & quidem tales dumtaxat, qui Pyrotechniâ instructi, rerum proprietates examinant, &c. Quid sibi vult, Helmonti, tuum illud ABINDE? Nempe, *Ex quo Samaritanus vulnera alligauit.* Atqui nunquam illud factum est: neque enim historia est, sed Parabola, vt omnes Catholici hactenus senserunt.

runt. Atque ita nunquam *Pyrotechnici* Naturæ Interpretes facti sunt. Quid amplius ad hunc locum dicam? si ridiculè aliquid fingere voluisses, dignum *Alcorano*, vel *Thalmud*, nescio, quid magis ridiculũ potuisses.

LOCVS 10. Iohan. 1. 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex* DEO *nati sunt*. Helmontius. p. 75. *Carni & sanguini voluntas competit, quæ non sit voluntas viri, nec voluntas* DEI. Corruptio est ista, Helmonti, non Scripturę interpretatio. Nam Catholici Interpretes, θέλημα siue *voluntatem* carnis, pro *carnali concupiscentiâ* accipiunt, Hebræorum more, qui *Chaphets*, quemuis appetitum vocāt. Ita Isa. 58. 3. 13. & Ephes. 2. v. 3. Tu hinc figmentum tuum *Pyrotechnicum* probari putas, quo duas in homine voluntates ponis. Hæretici *Monothelitæ* dicti, inde hæretici censebantur, quod vnicam in Christo voluntatem ponerent; ex eo enim sequebatur, vnicam esse naturam. Vide, quid de te censendum sit, qui in quouis homine duas voluntates ponis. An non pari ratione plures ponas naturas.

XV. LOCVS 11. Iohann. Epist. 1. cap. 5. v. 7, 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnũ sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in ter-*

ra ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt. Helmont. Pag. 137. 138. vt per ſolitam *Incogitantiam*, oſtendat, ſe in S. Scripturæ contextum quoque, non modò in Interpretationem, ius habere: pro, *In cælo*, ſcribit, *In cælis*: Item, in eâdem priore ſententiâ, additâ voculâ, *Hi tres*, TANTVM *vnum ſunt*. Quod idem repetit in poſteriore. In quâ etiam pro, *In terrâ* ponit *In terris*. Porrò, vtcumque parui, aut magni momenti videatur mutatio; modeſtum Eccleſiæ Catholicæ filium decebat ſcribere, vt à ſanctiſſimâ Matre, tot iam ſeculis, receptum fuerat. Sed interpretationem quoque videamus poſterioris membri. Nam prioris Helmontius nō attingit. Primum ait, poſteriore membro, *Iohannem de Humanitati Chriſti loqui*. Cum loci difficillimi multæ, & diuerſæ admodum ſint, tum antiquorum Patrum, tum recentiorum Doctorum, expoſitiones: nemini tamen in mentem venit, vt *de Humanitate Chriſti* agi doceret, eo modo, quo Helmótius. Vide *Lorinum* noſtrum in illum locum. In eo fere omnes conueniunt, *Chriſti Diuinitatem triplici teſtimonio probari*. Itaque delira *incogitantia* Helmontij eſt, qui rectè ſe ita concludere arbitratur. *Nos igitur, qui parem humanitatem habemus: mirum non eſt, ſi ſanguinem, & ſpiritum conſimilis vnitatis contineа-*

tineamus:sitque SANGVINIS ACTIO MERE SPIRITVALIS. Hunc locum, ac totum librum suum concludit Helmontius hisce verbis: *Abscede igitur quisquis es, à pertinacia: & alium præter Cacodæmonem, in sanguine spiritum agnosce, nisi Scripturæ ex aduersum eas.* Hoc planè sacrilegio, tamquam sigillo, obsignandus fuit codex, qui tot alias continebat sacrilegas impietates. Quomodo enim lenius appellem assertionem, quæ fœtidum cuiuscumque latronis sanguinem, comparat SANGVINI AGNI IMMACVLATI CHRISTI? quæ ex hoc diuino SANGVINE probat *nugas, & veneficia Magnetica?* quæ denique insuper, ipsam Diuini VERBI verbum eò trahit, vt idem dicere videatur: & quidem ita, vt eiusdem verbi inimicus sit, qui infamem illam ei notam non impingat? Heu tristem *incogitantiam*!

IX.

INCOGITANTIA HELMONTIJ in docendo ex professo superstitiosa, impia, perniciosa.

1. HVIVS *Incogitantiæ* exempla aliquot producamus ex Helmontio: sed ita, vt qui ex eius libello non didicerit, ex meo non accipiat. id est, sic producamus,

vt qui nesciunt, me lecto, æquè ignorent, quo impium quippiam patrare possint: sed non ignorent, Helmontium graue scandalum impijs, & perniciosè curiosis, obtrusisse.

Exemplum 1. pag. 25. Docetur *transplantatio morborum, ægroti sanguine cortici oui, inclusõ.* Quicquid contra Vnguentum Armarium militat, contra hanc itidem stoliditatem valet. Vide meum *Heautontimorumenō.*

Exempl. 2. Pag. 26. Impia ratio ponitur, quâ *mulieris vbera sterilescant.* Idem iudicium.

Exempl. 3. Ibidem. Scurriliter, & impiè *cacatori* (ita loquitur honestum dogma) *scabies immittitur.* Manifestè à CACO-DÆmone hæc præscriptio est, siue priorem vocis partem è Græciâ, vti debet, accipias: siue è Latio.

II. *Exemplum 3.* Pag. 29. ait Helmontius, *Philtra mumialem confermentationem requirere, vt ad certum obiectum trahatur dilectio.* Vnde apparet, Quicquid Magnetici Doctores Mumiæ in *absens obiectum* tribuunt, ab eodem Cacodæmone esse: cum hactenus Catholici omnes, *Philtra* non nisi à Diabolo esse intellexerint.

Exempl 4. Pág 30. 31. *Herbæ aliquot in absens vulnus, vlcus, morbum, agere perhibentur.* Quâ

Quâ de re idem censeas, quod Exemplo 1.

Exempl. 5. Pag. 96, 97, 98 99. Impia, execranda, horrenda, & planè venefica *ratio docetur, Veneficas, siue Sagas deprehendendi,* earumque veneficia; extracto corde animantis, ab ijs interfecti, &c. Neque modò traditur, sed cum plausu laudatur, pia esse asseritur, & defenditur. Quis credidisset, in Catholicum hominem tantum posse incogitantiam? Hæc talia à rusticis, & popelli fæce, quandoque fieri, etsi miserum est, tamen vtcumque intelligi, & cum commiseratione, aliquatenus ignosci potest: sed à Medico, à *Pyrotechnico, naturæ filio, & Interprete* vnico, ita sentiri, iudicari, doceri, publico scripto vulgari, & in vrbe Galliarum Reginâ, typis excudi; ac denique pro stipitibus, & fungis haberi eos, qui in eamdem sententiam vltro non eant; atque etiam impietatis eosdem damnari, qui hanc impietatem respuant: enimuerò quid dicam, nescio. Videant, quorum interest.

X.
INCOGITANTIA HELMONTIJ IN REPREHENDENDO, & TAMEN IMITANDO GOCLENIO.

1. MISEROR iniquam sortem Goclenij. Is à *Magnetismis, & Characte-*

ribus ſuis dementatus,eiuſmodi effutierat, quæ, cum de *Superſtitione* Diſſertatiunculam adornarem, præterire omnino non poſſem,quin oſtenderem, ex inferno ea emerſa, vt impiè curioſa ingenia tenerent; nimis albas mentes, tartareæ deceptionis caligine inficerent. Et quamquam Goclenij rationes, & firmamenta oſtendi eſſe infirmiſſima, & omni carere ratione: tamen *rem ipſam*, potiſſimum vti debui, demonſtraui eſſe Diabolicæ ſuperſtitionis compertam. Eo vſque, alternis ſcribendi ſerram reciprocando, deducta res eſt, vt Goclenius ſeipſum damnauerit, tum pleraque, quæ antè adorabat, vltro damnando: tum ignauo ſilentio, & præuaricatione. Deniq; delirus factus,oſtendit, cuiuſmodi illa eſſet ſtulta ſapientia. Hoc, cum plus ſatis mali videretur, exortus eſt *Helmontius*, qui miſeriam adderet miſero. Indignatur grauiter,& ſuccenſet,quòd *Curationem Magneticam*,vt oportebat, defendere nequiuerit. *Ingemuit* videlicet (vt profitetur pag. 8.) *Naturalium rerum hiſtoria,tam debilem patronum obtigiſſe.* Indignatur, *continuatam*, ſæpius repetito typo,*probationis ſterilitatem.* Ait,*inueniſſe promiſſerem Goclenium, ad tantum munus imparem.*

II. NEQVE hîc ſiſtit. *Nuſpiam*, inquit, *vel*

vel tenuiter saltem, titulo, aut pollicitis satisfacit. Item:(pag.9.) *Multa hinc inde rapsodia colligit ---- quò ignotum sibi Magnetismum comprobet.* Postea, à pag.9. ad 12. *septem Goclenij errores*, sigillatim enumerat, ac rectè se refutare, suauiter sibi persuadet. Mitto alia. Illud omitti non debet, quod (pag.71.) disertim profitetur, illis verbis cedro notandis: INSVFFICIENTIÆ *Goclenij, hâc in parte* REPARANDÆ, SVBSTITVTI *fuimus.* Miser Gocleni! en quò *Magnetica* tua *Sapientia* deuenit! Tuus ὁμότεχνος, amicus, ac frater tuus, medicus *Pyrotechnicus*, *à naturâ in filium optatus*, *solus naturæ* eiusdem *Interpres fidelis*; vt tibi Victori Triumphum canit! Sed bono animo es. Non ita potuit agere Momum tuum; quin passim ageret *Imitatorem* tuum. Illud, Lector amice, cum iam obiter demonstratum sit; ad hoc alterum me conuerto, & aliquot capitibus, quàm ignauiter *Helmontius Goclenio* (quem adeo liberè, & acerbè reprehendit) ponè adhæreat, manifestum facio.

III. PARALLELIS res multo euadet clarior.

Parallelum 1. Goclenius vanissimè promisit, quæ nullâ ratione probare potuit. Ostêdi hoc passim in meo *Heaut.* Et paulo antè ipse Helmontius illi obiecit.

Helmontius itidem (pag. 58. 59.) *insolentis petulantiæ esse* ait, *Dæmoni ascribere, quod* NATVRÆ VBIQVE CONSONVM *est. Vt* MOX, inquit, DOCEBITVR. Nusquam illud MOX, in Helmontiano libro apparet, vt quiuis lector facilè deprehendet, & ego ostendam.

Dic, Helmont, hoc MOX, *dic, rogo, quando venit?*

Parall. 2. Goclenius passim, vbi triticum deest, lolio victitat; id est, vbi vera, & solida desunt; falsa, & vana comminiscitur, & audacter obtrudit. Quo in genere est tota illa colluuies *Characterum Magicorum*, quos in suo Tractatu Magnetico depingit. Vide Anatomen meam, & Heaut. Ex quo posteriore libro videbis, ipsum Goclenium horum vanitatem vltro fatentem.

Helmontij ager eodem lolij genere scatet. Colligo pauxillas spicas. Pag. 27. Cuidã amputatur nasus: restauratur illi ex cuiusdã baiuli brachio: redit in patriam bene nasutus. Decimotertio post mense, ascititium, & insititium nasum *putrilagine* amittit. Cur? quia moriebatur tum baiulus. Compendio posui, quod Helmontius pluribus. Qui concludit non sine insultatione: *Cedo, quid subest superstitiosi? quid fantasti?* Et in margine: *Mumia ab Italiâ Bruxellam vsq;*

ope-

operatur. Nimis calidus es Helmonti, in credendo, quæ arrident. Tamen, si pro certâ historiâ rem omnino haberi vis: respondebo primum, Casu contigisse, vt simul alter vitā, alter nasum amitteret. Deinde, Cacodæmonem, quantum, DEO iusto permittente, potuerit, libenter contulisse, vt hæc duo simul euenirent; vt sic Helmontij, & similium, perniciosus error vtcumque cōfirmaretur. Ad hæc responsa *Pyrotechnicus* quispiam ringi potest: solidi quicquam contra afferre, certò scio, nihil potest. Velim mihi vicissim Helmontius respondeat: Cur, cum tot nasi ex alienâ carne sumti sint, vnicum hoc exēplum afferatur, quo & nasus, & nasum largitus, simul patiantur? Item Quis ille stultus sit, qui eâ conditione nasum aliunde petat, vt eo moriente, illi nasus moriatur? Parum nasutus sit, cui istæ quisquiliæ placere queant.

IIII. HELMONTIVS, pag. 27. 28. *Radix Carlina, cuius vmbram premis, vires, & robur naturale in te trahit.* Ingens hactenus miraculum existimatum est, quod S. Petri vmbra (Act. 5. 15.) ægrotationes tolleret, & ægrotantes confirmaret. At faciunt iam *Pyrotechnici*, vmbram prementes, duplex miraculum, modicâ herbulâ adhibitâ: nam vires, & robur naturale alijs adimunt; alijs

addunt.

addunt. Plura id genus figmenta sunt apud Helmontium, quæ hoc loco referre piget, pudet, tædet. Vide *Incogit.* V. in lepidis illis *Propositionibus Philosophicis.*

Parall. 3. *Goclenius*, cum nihil afferre possit, quod faciat ad τὸ ἔργον; mera suis in libris affert *Parerga*. In eius *Synarthrosi*, clarè ostendi, è pagellis 227. vix esse 27. quæ aliquid ad rhombum dicant. Vide meum *Heautont.* sect 3.

Helmontius eamdem viam ex professo insistit. Sed cum totus eius libellus ex meris fere *Parergis* constet: duo tamen genera maximè notanda videntur. Alterum est, cũ passim mira quædam affert exempla rerum naturalium, quarum in se mutuo effectiones Lectori stuporem moueant: sed nulla in ijs apparet *actio in Distans*: quæ tamen sola in fictitio *Vnguenti Armarij* miraculo admirabilitatem habet. Alterum est genus, cum ridiculè bonus Helmontius pro me argumenta colligit; & ijs studiosè, & operosè respondet: & inde occasionem sumit, me conuitijs onerandi, cum ego eorum nihil non modo dixerim, aut scripserim, sed nec cogitarim. Pag. 24. ait: *Quas non attulisti rationes pro te ipse comminiscar.* Me alloquitur. Atqui, Helmonti oleum & operam perdis. Tua ego ista commenta nihili facio.

Addu-

Adducis pro me *rationes duodecim*: & cum libellus tuus in vniuersum pagellas habeat 138. in rationum istarum pro me quisquilias impendis quinquaginta, nempe à pag. 24. ad 74.

V. SED QVANTO rectius te impendisses dissoluendis argumentis, quę contra diabolicum vnguentum. & Mag. curam, in meo *Heaut.* produco, totis Sectionibus quindecim, initio à decimâ facto: à pag. 122. ad 304. Videlicet vidisti frustra te sudaturum. Prudens abstinuisti. Hoc etiam ad bonam tuam fidem referri potest, de quâ suprà vidimus.

Parall. 4. Monet me hic locus, hâc etiam in re, *Goclenij* te esse imitatorem. Nempe vterque magni dissimulatores estis, ne dicam simulatores. *Goclenius* suam & Synarthrosin, & Morosophiam, non nisi simulando, & dissimulando potuit conficere, vt alibi mihi demonstratum. *Helmontius*, nisi eamdem viam institisset; Vnguentum, & Curam suam Mag. nec in speciem tueri potuisset.

Parall. 5. Sigilla, & Characteres quàm adamauerit *Goclenius*, ex eius Tract. manifestum est: in quo nihil fere aliud videas; etsi ad Curam Magnet. pertineant nihil. *Helmontius*, ne minus aliquid haberet, itidem Cha-

Characteristicus est:sed aliâ quâdam ratione, *Characteribus* vim attribuit; ex suâ videlicet *Phantasiâ.* Pag.131. in margine : *Quomodo parentur Sigilla efficacia.* In contextu: *Constellatio, quæ influit in chalybem (& omne fortassis sigillum) ex cælo microcosmico, id est, ex olympo nostro fluit: irrita fuerunt idcirco sigilla, quæ non à* MAGO, *in Phantasiâ suâ Exaltato, cuderentur.* Vide, Christiane lector, *Exaltationes Phantasticas.* Per eiusmodi Exaltationem docet proximè antè, conficere *acum nauticam,* quæ sine magnete, aut alio auxilio, *polum notet.* Tantum valet *Pyrotechnici Phantasticum imperium.*

VI. *Parall.6. Goclenius* ædificium malè materiatum *Characterum* , & *Curationis Mag.* fulcire aggressus, ruinâ oppressus est, & *Heautontimorumeni* cognomentum suo sibi iure consecutus.

Helmontius non semel suis se verbis, tamquam suo gladio, itidem iugulat. Pag. 21. *Superstitio*, inquit, *dicitur, quoties statur fide, aut imaginatione, aut utrâq; super virtute aliquam, quæ talis non est; aut non eò à Creatore directa.* Admittamus hanc diffinitionem, qualiscumque ea est;& audiamus, quid inde concludas: *Nihil igitur*, inquis, *Cura Magnetica Superstitionis habet.* Quanto rectius dixisses: Ergo Cura Magnetica *pura puta Superstitiosa*

perstitio est? Nam neque hîc, neque alibi probas, aut vnquam probabis, virtutem illam, quam fingis, tuo inesse Vnguento: ac multo etiam minus, à Creatore sapientissimo, stultam, & histrionicam illam curationem institutam, vt pro corpore humano, brutum, & omnis sensus expers ferrum inungatur. Aliud accipe.

Pag. 60. Cum finxisses, *Vitem, que in flore est, procul vina turbare:* sequenti pag. ais, *Vina neutiquam turbari, regionibus, quibus nulla vitis nascitur.* Atqui ex tuo dogmate, planè contrà oportebat. Nam cum tuus *Magnetismus* procul agat (atque adeò, *ab Italiâ Bruxellam vsque operetur*, pag. 27.) cur non etiam turbentur, *vbi vitis non nascitur*? Vt video, quantumuis Goclenium agites, fies & tu, & eris *Helmontius Heautontimorumenos.* Nec deerit vtrique aliâ nuncupatio ex eodem Comico rectè ducta. Dicemini ADELPHI.

VII. VT PLANE sitis fratres, & *Adelphi*, & gemini; non modo cum vigilante tibi conuenit, sed & cum *dormiente*, & *somniante*.

Parallel. 7. *Goclenius* in Tract. Magnet. pag. 40. *in somno facit terribilia, ac mirabilia, videre*: & pag. 68 *facit res delectabiles apparere.* *Helmontius*, pag. 4. *in rebus somnio occurrentibus*

tibus, vult *pingi ideas rerum futurarum.* Et pag. 90. *quandoque* illi *insomnia Prophetica sunt.* pag. 91. *In somnijs interior Magica usquequaque se exerit intelligendo.*

Sed iam tempus est, vt ad primarium *Helmontiani* libelli argumentum veniamus, nempe ad *Vnguentum Armarium*, & *Magneticam curationem.* Ex quo tamen facilè, & paucis nos expediemus, quòd hâc quoq; in re *Helmontius Goclenij geminus* est: neq; plus, quàm ille affert, quo commentitiam Curam, & Vnguentum constabiliat. Videtur quidem ille conatus: sed fuit —— *telum imbelle, sine ictu.* Quicquid tamen fuit, bonâ fide ponam, & eius vanitatem perspicuè ostendam, seruato ipsius *Helmontianæ Disputationis* ordine.

XI.

INCOGITANTIA HELmontij in explicandâ naturâ, & energiâ Vnguenti Armarij.

I. HELMONTIVS pag. 12. disertè contra Goclenium congerronem suum, docet, *Vsneam, è cranio rotâ intertemtorum, non minus laudabilem esse, quàm laqueo suspensorum.* Vterque *vsu* probatam suam sententiam gloriatur. Ego, vt non negaue-

gauerim, ad medicinas vtilem vtramque esse;ita,in corpus hominis,dum ferro illinuntur,prorsus quicquam agere posse pernego. Deceptor spiritus, qui vtriusque vicem agit,vtrumque authorem acerbè subsannat. Non probabo hic,quod tam variè,& solidè probaui in meo *Heaut.*Helmontij erat probare,quod proponit, & pollicetur. At ille, sibi credi vult,contentus proposuisse.Et interea hunc suum errorem passim mihi impingit.

II. ARGVMENTVM adamantinum affert *Helmontius* pro suo *Vnguento,pag.20. Hoc remedium magneticum*, inquit,NVLLATENVS *suspectum reddi potest*. Magnum quid asseueras,Helmonti; & quod ægrè tibi credemus,sine magno argumento.Tu probas, Quod *nullos ritus habeat, nulla verba, nullos characteres,aut sigilla poscat: caremonias nullas admistas, aut vanas obseruantias: non præsupponat horas, non profanet res sacras: imò, nè quidem praexigat imaginationem, confidentiam; aut fidem,neque veniam à vulnerato petendam.* Fur quispiam,cum se probum,sanctumque probare vellet, ita ratiocinabatur: Neminem occidi,seditiones & bella nō excitaui, venena, & veneficia non miscui, non tractaui; ebrietati,libidini, mendacijs non sum addictus: hæreses, praua dogmata,

& ſchiſmata deteſtor:quis me probum,bo
numque neget? At tacebat iſte probus,
frequenter ſublegere alienum. Sic tuu
Vnguentum Helmonti, aut tu potius q
concinnas,vteriſque,Naturam, Naturæqu
Authorem DEVM, ludibrio habes & ter
tas, dum *Pyrotechnico figmento*, è Tartaro
Paracelſo Magorum impijſſimo,allato,aliu
inungis,aliud ſanare vis. Iube, comedat c
tellus tuus,& tu interim ieiunus ſatiare. S
efficies,tibi vt credamus.Non opus alios t
bi hi: ritus,alias obſeruantias inculcare.

III. VITIS, *quæ in flore eſt turbat vina pr
cul,* ait,Helmont.pag 60.Imò,dico ego,c
um. *Probatur,quod non,* inquit. *Nam ſi ca
cauſaret flores in vite,& vinorum in cadis,tu
bulentiam: neceſſe eſſet, vtrumque annis ſi
gulis, ſtato fieri , & definito quaſi momen
quod falſum eſt. Nam ſubinde vitis floreſc
& turbatur vinum ante ſolſtitium : atque
eâdem regione, alio anno, longè poſt.* Achill
hoc argumentum putas,Helmonti. At e
nec pro velite habeo,niſi eiuſmodi,qui,v
hoſtem procul aſpexerit, abiectâ fundâ,f
giat.Norunt Ariſtotelicorum Philoſoph
rum pueri, magnam eſſe in cælo, motuu
& influentiarum: in terrâ, climatum, ſitu
aliarumq; diſpoſitionum varietatem. Q
bus obiter cognitis, nec vino turbato t
ba

bantur;nec flore ſpirante deſperant.Ad alia.
Pag 68.idem Helmont: *Eſt in Magnete virtus influentialis,quæ libere* AD POLVM *vſque fertur:cum ſit ſpontanea magnetis ad polum eradiatio.* Nonne abuteris Lectoris tui patientiâ, ô Helmonti? Hoc proba, & viceris. Putas, ſat eſſe, id tibi audacter ſumſiſſe? Sciebas,me in Heaut.Sect.18.qag.266.ſcripſiſſe non ſine aliquâ indignatione: *Quis enim fingere audeat, Magnetem agere in Polum,vel Polo quicquam imprimere?* Hoc igitur tibi oſtendendum videbas.At tu ſuauiter,bonâ ſcilicet fide,diſſimulas.Si pertendis,id fieri, dic nobis clarè, Quid illa *Virtus* ſit,& ad quid feratur ad Polum?

IIII. COMPOSITIO Vnguenti Armarij apud *Goclenium*, in Tractatu de Mag.Vuln. Cur.(pag.95.)duplex eſt.In priore,nullius, præterquam hominis, animalis mentio eſt. In poſteriori video nominari *verrem, vrſum,lumbricos.* De *Tauro* altum ſilentium. At apud *Helmont*, pag. 101. *Tauri pinguedo pro vnguento armorum*, PRORSVS eſt NECESSARIA. At *Goclenius* non minus *Experientiam* pro ſe affert, quam *Hemontius.* Alij meras herbas,alij ſolum laridum adhibent.Sed nimirum Cacodæmon ſuſque deque habet, quid *Pyrotechnici* faciant, dum illos decipiat. Vide Heaut. Sect.19. Itaque

vanè triumphat *Helmont* (pag. 102.) illis verbis: *Hinc itaque satis liquet, non concursu Satanæ (qui etiam sine melle, & tauri cruore sanaret) sed communione qualitatum naturalium, cum vindictâ posthumâ traduce, in concreto relictâ, conscribi vnguenti efficaciam.* Planè, Helmonti, *sine melle, & tauri cruore sanat Satan*: teste congerrone tuo *Goclenio*. Si illi non credis, nec ego tibi.

V. AVDI nouum Paradoxum Helmontianum. Pag. 136. *Est naturalis Phantasia Vnguenti causa magnetismi, & causa curationis propria.* Necessariò hinc efficitur, Qui non probet, in Vnguento esse *Phantasiam*, nunquam probaturum, in Vnguento esse curandi vim. Atqui illud Helmont, *authoritate Pyrotechnicâ*, quam nemo sanus miratur, aut curat, ponit tantum, nusquam cōfirmat. Ruit igitur tota Vnguenti energia, & vno hoc Helmontij pronuntiato, tamquam spongiâ, totus eius libellus deletur. Aliud sequitur, in quo, vt alijs pluribus, non rectè conueniunt, Vnguento Magnet. curando & tuendo *Duumuiri, Goclenius, & Helmontius.* Goclenius eius omnem vim à *Sympathiâ* arcessit: Helmont verò (pag. 9.) *Vnguentum illud vulnerarium, nedum homines sed & equos curare vidi: quibus certè non tāta est affinitas nobiscū, nisi* ASINI *simus, &c.*

Et,

Et, ne dubitemus, idemne sit Vnguentum cum Gocleniano;putemusque fortè, Equino sanguine imbutum, vt alterum humano:audi eumdem Helmont (pag.83.) *Vnguentum nostrum, mumijs* HVMANIS *compositum, etiam equos persanat.* Sic se mutuò lacerant nostri Vnguentarij : sic vterque Experientiam certam,testem producit : sic vtrumque Satanas miserum in modum ludificatur.

XII.

INCOGITANTIA HELmontij in explicando commentitio Magnetismo.

1. VT VVLPES Æsopo fabulatori omnia conficit : ita in fabulis *Pyrotechnicorum*, nihil frequentius *Magnetismo.* Hoc interest, quòd vulpe inter animantes nihil notius: at *Magnetismo* nihil in affectionibus naturalibus, obscurius. Quippe cum nihil sit, nisi merum, & infelix figmentum, ad Diabolicas technas honestò naturæ velo tegendas, à *Pseudoalchimystis*, Diabolo ipso suggerente, inuentum. Hinc nunquam extorqueri potuit nec à Goclenio, nec ab alio aliquo, vt disertè, & sine ambagibus, diceret, Quid tandem *Ma-*

gnetismus sit, quâ vi polleat, quo modo eam vim exerceat. Si nimium vrgeas, *asinus* audies, & *Boeoticum pecus*. At tamen hîc quoque valere oportebat illud omnibus disciplinis tritissimum pronuntiatum: *Primum omnium sciendum, quid illud sit, de quo agitur.* Helmontius plura pollicetur, quàm alius quispiam, quem ego viderim: sed nihilo plus præstat. Collegi, quæ ipse sparsim de *Magnetismo* docet; quæ videbis, tandem nihil esse, nisi fumum, è foculis Pseudochymicorum assurgentem, & os, oculosque eorum obruentem, qui consideratione, & affectu, æquo propius accesserint. Vide, Lector, has *Quæstiunculas*, quibus, perspicuitatis gratiâ, totam Helmontij de *Magnetismo* doctrinam complecti conatus sum.

II. QVÆST. I. *Sitne in naturâ Magnetismus*? Helmont, pag. 57. *Qui negat Magnetismum, & vires influentiales passim rebus insitas, atque proprias, & eas à sublunaribus arcet, subterfugium inane quærit.* Probat 1. Ibid. *Quia res ipsa continent in ente seminali, firmamentum particulare, ratione cuius symbolizant supera cum inferis, lege amicitiæ, & silantiæ.* Neganti Propositionem, non habet Helmont, quod objiciat, nisi, *quærere inane subterfugium*. Probatio non magis eam probat, quam, Calecutum esse in Italiâ, & Romam

in

in Indiâ. Vt taceam, quòd figmentum Pyrotechnicum est. Probat tamen 2. *nostrâ concessione*. Pag. 19. *Naturam materialem, quotidie Magnetismo suo, à superis formas trahere cælestiumque fauorem expetere, conceditis: & cælos quippiam ab inferis vicissim allicere inuisibiliter, vt sit liber & reciprocus aditus & in vnicum totum membrorum concinna chelys. Magnetismus itaque, quia passim viget, præter nomen, nihil noui continet.* Nimiū amas, Helmonti, qui tam liberè, tam ridicula *tibi somnia fingas*. Ecqui nam illi sunt, qui has nugas concedunt, præter tuos Vulcanios fratres? Cælos quidem concedimus procul admodum agere, & *Sphæram*, quam *Actiuitatis* vocant, habere quàm amplissimam: sed cur, & quo modo, dixi in Heaut. meo, Sect. 15.

QVÆST. 2. *Quidnam sit Magnetismus?* Helmont, pag. 21. hæc ipsa verba in margine ponit: *Quid Magnetismus.* Contextus ait esse *Proprietatem* QVANDAM *occultam, hâc appellatione, propter manifestam illius lapidis prærogatiuam, à cæteris abstrusis, & vulgo ignotis qualitatibus diremtam.* Cum peculiare aliquid expectaretur, ait QVANDAM. & pro omni claritate, ait, OCCVLTAM. Rectius, & magis ingenuè dixisset, quod res est, *Nullam*. Cæterum, quàm ni-

hil Pſeudo-Alchymiſtas iuuet, quòd Magnes diſſitum ferrum attrahat, oſtendi Heautont. Sect. 18.

III. QVÆST. 3. *Quænam Magnetiſmi cauſa in vnguento?* Ponitur hæc Quæſtio ab Helmontio, p. 77. in marg. Et p. 74. dixerat, *Tempeſtiuum eſſe, prodere Cauſam proximam Magnetiſmi in vnguento.* Pag. 75. & 76. ſupponit *conſenſu Theologorum Myſticorum,* (vt ipſe vocat) mirificas nugas, quas facilè credam, illi dormienti ab aliquo Genio dictatas. Inter alia, pag. 76. ait, *in ſanguine, eſſe vim, & poteſtatem quandam extaticam: quæ ſi quando ardenti deſiderio excita fuerit; etiã ad abſens aliquod obiectum, exterioris hominis ſpiritum, deducendo ſit.* Pudet, & piget, Lectoris mei oculos, & aures his quiſquilijs imbuere. Sed quid faciam? Si ſileam, tribuet Helmontius ignorantiæ, & conceſſa putabit, quæ memorata non viderit: & pro more, epinicium canet. Non vides mi Helmõt, te tibi audacter ſumere, quod maximè in quæſtione eſt? imò quod maximè ab aduerſarijs tuis negatur, ridetur, exſibilatur? Ais, *in ſanguine eſſe vim extaticam, quæ etiam in abſens obiectum, exterioris hominis ſpiritum deducat.* Obſcura hæc ſunt admodum: itaque explicanda. Inopinata ſunt, & incredibilia: itaque probanda, & firmis rationibus

erant ſtabilienda. Sed hæc paraſceue tantũ ſunt ad Cauſam Magnetiſmi in Vnguento, oſtendendam. Ad ipſammet veniamus. Pag. 77. hæc ænigmatica fundit Helmontius. *Cum vulnus, aëris ingreſſu, qualitatem aduerſam admiſerit, vnde mox ſanguis in labris æſtuat, & alias purulentus euadit; contingit ſanguinem in vulnere recenti, propter dictã qualitatem exoticã, aliqualis corruptionis iam initia ingredi (qui etiam in paxillum tunc aſſumtus, vnguento Magnetico oblinitur) quo mediante, corruptionis initio, poteſtas extatica in ſanguine, latens potentialiter, in actum ducitur. Quæ, quia ad corpus ſuum redux eſt ratione latentis extaſis ; Hinc ſanguis iſte ad ſanguinem totius ſui, indiuiduum reſpectum gerit. Tunc nimirum Magnes in Vnguento operari ſatagit : & mediante potentiâ extaticâ (ſic voco etymi penuriâ) exugit noxam è labris vulneris ; & tandem virtute mumiali, balſamicâ & attractiuâ, in Vnguento acquiſitâ, Magnetiſmus perficitur.* His, velut ex antro Sibillæ, protruſis, tibi ipſi applaudis pag. 78. *En habes nunc rationem poſitiuam Magnetiſmi in Vnguento naturalis, ex Magiâ naturali depromtam: cui aſſentitur lux veritatis. Vbi Theſaurus, ibidem cor, inquiens.*

IIII. TVAM fidem, Helmonti, hoccine eſt prodere *cauſam Magnetiſmi in Vnguen-*

to, vt margo tuus pollicetur? Explicas rem obſcuram (ſi hoc explicare, & non implicare eſt) per obſcuriora: figmentum per plura, & maiora figmenta. Et poſt hæc omnia audes dicere: *En habes rationem poſitiuam Magnetiſmi.* Planè, ſi deliramenta fundere, eſt rationem reddere, tu egregiam reddidiſti. Quid ego contra hæc diſputem? Prouoco ad iudicium cuiuſuis ſani Lectoris. Quod ais, *aſſentiri lucem veritatis*, plena irreuerentiæ blaſphemia eſt, de quâ ſuprà, cum ſimilibus oportunè actum eſt.

QVÆST. 4. *Quis Magnetiſmi modus?* Petit hæc Quæſtio, Quænam ſit in Magnetiſmo agendi ratio? ſiue, Quomodo perficiatur Magnetiſmus? Præter illa, quæ quæſt. 3, iam ex Helmontio retulimus, accipe hæc, ex eodem.

Helmont, pag. 96, *Radius aliquis ſpiritualis à zagâ abit in hominem, aut brutum, quod interimendum ſtatuit, &c.* Has tam honeſtas Sagarum actiones, per *Magnetiſmum* fieri Helmont ſtatuit. Sed, quod ad rem noſtram hoc loco pertinet, id eſt, ad *Magnetiſmi modum*, ſatis eſt, obſeruare *Radium* illum *ſpiritualem*, ab homine ad hominem, aut brutum, *migrantem*. Pete ab Helmontio, vt *Radium* explicet, eiuſque *migrationem*: nihil aliud referes, niſi ſtupidum eſſe te, &

Sata-

Satanam opimè in tuâ ignorantiâ gloriari. (pag.134.) Quod hîc reponere possim, reijcio in *Rhodum*, *&* *Saltum*, quò Helmontium paulo post voco. Eadem pag. 96. Ait Helmontius, *factam copulationem spiritus zagæ, cum spiritu equi:* Seq. p. 97. dicit, *ad zagam, dissolutione suum retromeare spiritum.* Ibid. & 98. *totum spiritum zagæ, non abire in cor equi: verum esse vniuocam quandam spiritus, lucisque vitalis participationem.* Sequitur mox: *Ista nempe spiritualis lucis participatio, est magica, virtute verbi locuples communicatio: & vnum producit decem myriades seminum æquiualentium, & spiritus seminales integrales totidem, tamquam de lumine lumen accenditur.* Hæc quoque erudito lectori, intelligenda, si potest, & iudicanda relinquo. Certè, si solidi aliquid dixisset Helmont, clarius dixisset: nam ei alijs in rebus nec verba, nec sermo deest.

V. PLVRA de *Magnetismi modo* dicentem Helmontium audiamus. Pag. 114. *Magnetis, & rerum inanimatarum magnetismos, fieri per naturalem sensationem, sympathiæ omnis authricem, certum est. Si namque Magnes se ad polum dirigat, eumdem nouisse oportet, si in directione suâ errorem non sit facturus. Et quomodo, quæso, nouerit, si non sentiat, vbi sit? Vnguento quoque est naturalis sua*

Phan-

Phantasia (pag. 136.) Item & sanguini: de quo pag. 127. *Ministerio Phantasiæ sanguinum fit, quod extrauenatus, in paxillum assumptus, unguento Magnetico introducitur.* Eximia sunt ista, pag. 128. *Non trahit vnguentũ vulneris infirmitatem ad se, vt fiat pyxis Pãdora: sed sanguinem nouiter allatum in spiritu alterat, medicum reddit, eiusque potestatem excitat. Inde illi virtus quadam medica, & magnetica, quæ redit ad suum totum, creatura germanum spiritũ sanguinis, per totum hominem.* Mox infrà: *Quæ virtus medica, domatrix mali, est partim in sanguine excita; partim etiam eidem ingenerata per vnguentum; spiritu nempe huius in spiritum sanguinis, sic imperante ex suâ phantasiâ, id est, dono creato.* Miser Gocleni! siccine te malè acceptum ab Helmontio, *quòd naturalium rerum historia, tam debilis patronus obtigeris* (pag. 8.) cum ipse nec melius fictitiam illam naturam tueatur: nec pauciora, & absurdiora confingat?

QVÆST. 5. *Quibus adminiculis fiat Magnetismus? Spiritibus*, bone Lector. De quibus hęc scribit Helmontius. Primo, pag. 112. *Toto hoc contextu spiritus voco Magnetismi patronos, non qui ex cælo dimittuntur, multoq; minus de infernalibus sermo est: sed de ijs, qui fiunt in ipso homine, sicut ex silice ignis. Ex volun-*

voluntate hominis nempe aliquantillum ſpiritus vitalis influentis deſumitur: & idipſum aſſumit idealem entitatem, tamquam formam, ac complementum. Quâ nactâ perfectione, ſpiritus, qui antea, aurâ æthere erat purior, inſtar lucis ſubtiliatur, mediamque ſortem inter corpora, & non corpora, aſſumit.

VI. Secundo, MITTITVR *ſpiritus eò, quò voluntas ipſum dirigit, vel ſaltem quò innata ſpirituum Scientia infallibilis, iuxta ſcopos rerum agendarum, eumdem mittit.* p. 113.

Tertio, *Idealis ſpirituum entitas, itineri iam accincta* (nonne tibi videtur, erudite Lector, de aliquâ Amazonum Reginâ ſermonem habere?) *quodammodo lux, & quaſi non amplius corpus, nullis ſtringitur locorum, temporum, aut dimenſionum imperijs.* Ibid.

Quarto, *Ea nec Dæmon eſt, nec eius vllus effectus, nec vlla eius eſt conſpiratio; ſed ſpiritualis quædam eſt actio illius, nobis planè naturalis, & vernacula.* Ibid.

QVÆST. 6. *Quodnam ſubiectum capax Magnetiſmi?* Sic margo p. 124. *Helmontius* ibi reſpondet: *Cuiuſcumque ſubiecti Phantaſia validum obtinuit appetitum ad alterius rei ſpiritum, ad aliquid, inquam, loco mouendum, trahendum, expellendum, vel repulſandum: ibidem, & non alibi, magnetiſmum, velut naturale eius rei donum magicum, à DEO illi*

illi instabulatum agnoscimus. Antea vocabas *Spiritus Magnetismi Patronos.* Cur non potius *Teipsum* dicis Magnetismorum omniũ & *Patronum, & Ducem, & Directorem*: nam pro arbitrio Magnetismos ponis, tollis, mittis, phantasiâ armas, inter se committis, iuuas, euertis: & quid non? Et, cum nullum vsquam Authorem afferas, nullam rationẽ; vis tamen tibi credi, quantumuis inaudita, & solâ absurditate, & vanitate suâ admirabilia, in medium proferas. Saltem modestius tuas nugas mundo, publico scripto obtrude.

QVÆST. 7. *Quæ facile succumbant Magnetismo?* Helmont, pag. 134. *Vbi obiectum est planè, ac proximè dispositum: vel planè debile, & sibi conscium: tunc patiens, sine multâ excitatione, solâ exterioris hominis phantasiâ in opus deductâ, & in medium aliquod alligatâ, succumbit magnetismo.*

QVÆST. 8. *Quodnam in Magnetismo maximè notabile Mysterium, & totius Magiæ Helmontianæ fundamentum?* Sic ipse Helmont, p. 129. *Ingens mysterium: In homine sita est energia, quâ* SOLO NVTV, *& Phantasiâ suâ, queat agere extra se, & imprimere virtutem, aliquam influentiam, deinceps per se perseuerantem, & agentem in obiectum* LONGISSIME *absens. Quo* SOLO *Mysterio,*

qua

quæ dicta sunt hactenus de ideali entitate in fomite spirituali asportatâ, & peregre ad munia sua abeunte; de Magnetismo rerum omnium, tam phantasiâ humanâ, quàm cuiusque rei propriâ, genito: nec non de hominum Magicâ, super corporibus reliquis, superioritate, ad lucem venient. Tenebræ plusquam Ægyptiacæ ista tua Lux est, Helmonti, & de quâ iure & propriè illud dici queat: *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quãtæ erunt?* Matt.6.23. Planè non sunt hæc ab *Angelo lucis*, sed à *Principe tenebrarum.* Denique nisi quiuis non delirus, hæc tua Mysteria pro Delirijs habeat; non causam dico, quin ego pro deliro habear.

QVÆST. 9. *Quæ demum est omnium horum sapientissima conclusio?* Helmont, p.107. *Quâ hierarchiâ,* SATIS, SVPERQVE ELVCIDAVIMVS, *quæcumque hactenus in Satanæ dominium, nonnisi* RVSTICE, *corporaliterque nimis Philosophantes retulerunt.* Quãto ego rectius ex ipso Helmont, contra Helmont, ita concludam?

CONCLVSIO.

HELMONT, pag. 102. *Obgannient contrarij* (Imo Sapientiam DEI, & iudicium iustissimum considerabimus, &

ado-

adorabimus) *gaudentes, vix potuisse probatam euadere Magnetici Vnguenti potestatem, nisi per zagam, Satanam, & spiritualem mundi inuisibilis Magiam, scientiam putatitiam, planè nihili, & damnabilem errorem.* Nihil neque verius, neque luculentius, toto tuo libello dixisti, Helmont. Excæcatus hîc es iusto DEI iudicio, & captus in astutiâ tuâ; qui Magnetismos tuos cogaris in Sagarum nefarijs actionibus ponere; neque aliter, quam in illis, & per illas, explicare possis. Accedit, quod hoc ipsum Lectori, si fortè minus aduerterat, indicas, & considerandum studiosè proponis. Cuius sanè Lectoris, parum amicè, aut peritè, beneuolentiam captas, dum, vt te vtcumque excuses, ibidem subdis: *Non istud rei tractandæ, sinistra quæpiam obliquitas, sed aliorum Crassa Ignorantia, & fragilitatis humanæ conditio misera, postulauit.* Quid ais? Helmonti, Finge paruam esse iniuriam, aut contumeliam, quòd præter te, & aliquot fortè alios *Pyrotechnicos*, reliquos omnes homines, fungos, & stipites facis: at certè illud, quomodo explicas, quod tam stupidi homines, tenebricosa illa, & tartarea mysteria, facilius capiant, quàm honestiora, & luci magis affinia? Crede mihi, nemo Christianus hoc de se dici velit. Fingmus vera esse omnia,

quæ

quæ de Sagarum Myſterijs vulgaſti: non video, quomodo honeſtum tibi cenſeas, illa tam accuratè percallere.

AVDI HOC ORACVLVM, & ſimul *Libelli tui breuiarium:*

SATIS, & plus ſatis videbatur,

1. ANGELVM *Custodem tuum, propudiosâ dedicatione dehoneſtaſſe:*

2. INNOCENTEM *Religioſum, neq; de te vnquam malè meritum, conuitijs inſectatum eſſe:*

3. MALAM *fidem tuam paſſim, non ſatis ingenuè, ſimulando, & diſſimulando, oſtendiſſe:*

4. DOCTRINAS, *& doctos homines, ornamentis ſuis (quod in te fuit) ſpoliatos, ridendos propinaſſe:*

5. PHILOSOPHIAM *nouarum, & ridicularum opinionum monſtris conſpurcaſſe:*

6. THEOLOGIAM *ſacroſanctam, portentoſis erroribus illatis prophanum in modum inceſtaſſe:*

7. MIRACVLA, *Diuinæ Omnipotentiæ argumenta, Lucianico, & Paracelſico naſo ſuſpendiſſe:*

8. DIVINAM *Scripturam, ad quam ne accedere quidem te, fas erat, audacter plurifariam corrupisse:*

9. INCAVTAM *iuuentutem, superstitiosa, impia, perniciosa ex professo docuisse:*

10. MISERVM *Goclenium, collegam, & congerronem, supercilio hyperpyrotechnico censuisse: & interea, pudendo transfugio, eumdem multis modis affectatum esse:*

11. ARMARII *tui Vnguenti naturam, & energiam; non aliter explicare, & probare potuisse; quam superstitiones vel æquales, vel etiam maiores, comminiscendo:*

12. MAGNETISMVM, *quo vno, omnia tibi conficiuntur, dum constabilire vis, riducularijs figmentis adductis, apud intelligentes, potius euertisse:*

13. DENIQVE *hæc omnia, non modo alijs commentis, inanibus promissis, puerilibus parergis, somniorum ludibrijs: sed & hæresibus, & multiplici impietate aspersisse.*

Erat

Erat, inquam, nimio plus satis, hæc ita temere, effudisse, & orbi vulgasse: neque opus erat, pro coronide hoc adderes, vt te *damnatæ Magiæ* adeò peritum ostenderes, & tua commenta, nonnisi *Sagarum diabolicis energematis*, explicari posse, reipsâ fatereris. Per me tamen licet; Excuset te in his, alijsque omnibus, tua tibi solemnis

INCOGITANTIA.

RHODVS, ET SALTVS *Helmontio.*

INSVFFICIENTIÆ *Goclenij reparandæ, substituti fuimus.* Verba tua sunt, Helmonti, pag. 71. Ostendi hactenus, te æquè *insufficientem*, ac se ostendit Goclenius: ostendi, te nihil *reparasse*; nisi *reparare* vocas plura euertere, subruere, demoliri, perdere. Hæc affatim, & cum commiseratione, toto tuo scripto vidimus. Videamus iam, sitne maior tua vis in expediendo te, & extricando ex *Rhodô*, & *Saltu*. Goclenius quidem prorsus hic siluit, & quieuit, ratus, onus esse, suis humeris importabile. Tu, Helmonti, qui *insufficientiæ eius reparandæ substitutus fuisti*, cui

Et pectora, & terga, & lacertorum tori:

agedum, accingere, & hæc *Pronunciata*, quantumuis falsa, ridicula, impia, vel vltro admitte: vel cur minus, quàm tua, de *Vnguenti* tui *Magneticâ* energiâ, & actione, probari debeant, edissere. Ego quidem palam profiteor, paratum me tueri, plus in his, quàm in tuis, esse verisimilitudinis: maximè ijs præsidijs adhibitis, quæ tibi, & tuis, liberaliter sumis.

PRONVNTIATVM I. *Sagarum Vnguentum, quo delibutæ, per aërem, nocturnæ aues, feruntur: naturaliter, & sine vllâ superstitione, atque impietate, eas in sublime tollit: sitque adeò ijs iniuria, si à Magistratu deprehensæ, eo nomine puniantur.* Ostēditur id ex Helmontio, 1. quia cōponitur tū ex alijs, ex *pinguedine, & sanguine humano*, hoc veneficarum Vnguentum. Nec apparet ratio vlla, cur minus hîc vim suam ostendat, quàm in *Armario* 2. Minus in *Canidiæ Vnguento* mirum est, tolli in altum corpus, quod eo inunctum: quàm *Armario Helmontiano* vngi stipitem, & sanari procul vulneratum Helmontij amicum. 3. *Satage, Vnde scis* DEVM *eiusmodi virtutem non direxisse in vsum* veneficarum? *Ostende litteras; an te* DEVS *sui consilij secretarium elegerit? sanè vtcumque vageris vario, tandem reperies, non aliâ ratione apud vos esse* vecta-

tionem

tionem *diabolicam, nisi quia tenuitas, & vocatio vestra eam non capit.* Agnosce verba tua, Helmonti (pag. 16.) pauculis pro argumento, mutatis: quibus Theologis insultas, & *Vnguento* tuo triumphale epinicion canis. Sumo à te mutuò, bonâ tuâ cum veniâ. Satage ergo quantum voles. Audeo dicere, Neque te, neque Pyrotechnicum vllum, vnquam ostensurum, plus rationis esse pro suo Vnguento, quàm pro illo altero. 4. Denique, *Insolens est*, (iterùm verba tua, pag. 59) *Dæmoni indifferenter ascribere, quod naturæ vbique consonum est: idque vnam tantum ob culpam, scilicet: quia nimirum à nostro* Helmontio, *modus per causam intelligi nequit: qui intelligendi suo acumine ambitum totius naturæ, vndequaque se lustrasse præsumit.* Non potest non dolere tibi, tua arma tam apertè in te verti. Sed quid facias? Cum me non lædant, sat multa alia præsidia habentem: te tamen grauiter feriunt, qui ea tanti facias. Nec potes eorum petitionem declinare, nisi vno illo dumtaxat modo, Vt fatearis, esse nihili.

PRONVNT. II. *Ignis in foculis chymicis, ab Helmontio Bruxellis excitatus, vel conficiendo Vnguento Armario: si Helmontius velit, exuret hostium Ecclesiæ toto orbe castra, equos, arma: aliaque quæ Helmontius volet.*

Probatur 1. *Magnes se ad polum dirigit: nouitque si in directione suâ errorem non sit facturus.* (pag. 114.) Item *est & Vnguento Armario sua Phantasia.* Cur non igitur igni quoque & Phantasia sit, & scientia & directio ad illa, quæ dixi? 2. Si deficiat ignis in illâ directione, succurreret *Ingens Mysterium* Helmontij, *in quo sita est energia, quâ solo nutu, & phantasiâ suâ, queat agere extra se, & imprimere virtutem, deinceps per se perseuerantem* (p. 129.) Item *habet Magicam super corporibus reliquis superioritatem:* quâ operante, iussus ignis, *peregrè ad munia sua abibit.* (pag. 130.) Confirmatur hæc ratio, quia eodem ingenti mysterio, cudit Helmontius *acum è chalibe,* quæ sine Magnetis affrictu, polum notabit, quia *imaginationem*, & phantasiam, *ipso momento quasi natiuitatis* illius acus, Helmontius vehementer adhibuit: cum si *casualiter, & inscio fabro,* eadem acus, eodem modo cuderetur, *inanis* futura esset, *nec polum notaret* (pag. 131.) Quid ni ergo eadem Helmontij Phantasia, vim illam igni imprimat, quam dixi, dum ipsum ignem extruit, & pyrotechnicôs sufflando excitat? 3. *Satage, Vnde scis,* DEVM *eiusmodi virtutem,* &c. Vide tertiam rationem in primo Pronuntiato; quæ ex Helmontio sumta, æquè hîc valet.

valet. 4. *Denique insolens est, Dæmoni ascribere*, &c. Vide ibidem, Probationem quartam,&c.

PRONVNTIATVM III. *Cum Helmontij pater, aut mater viueret; non poterant comedere, quin Helmontius filius satiaretur, etsi ieiunus perseueraret.* Prob.1. Affrictum cruento ferro Vnguentum, agit in vulnus longè absens, propter cognationem vtriusque Sanguinis: Quanto magis cibus tam cognatis, & amicis stomachis infusus, Helmontij stomachum *magneticè* refocillabit? 2. Si vsquam credibile est, *excitari vim Magicam, & extaticam* (p.76.) si vnquam *solo nutu, & phantasiâ agendum*: (p.129.) hîc demum credibile est, vtrumque vehementissimè, & ἐνεργητικωτάτως agi, & peragi. Prob.3. *Satage, vnde scis, &c.* vt proximè Prob. *Denique insolens est, Dæmoni ascribere*,&c. Ibid.

PRONVNTIATVM IIII. *Moriente Helmontij patre, aut matre, necesse est, & Helmontium, & quidem eodem momento, mori.* Prob. 1. Cur hoc minus fiat, quàm vt *nasus ex baiuli brachio sumtus, baiulo moriente, emoriatur?* (pag. 27.) Nihil opus, clarius rationem afferre, maximè, quoad matrem. Prob. 2. *Satage, Vnde scis*, &c.

Prob. 3. *Denique insolens est, &c.* Relege proxima.

HÆC, AMICE HELMONTI, vel admitte, vel explica : & deinceps (sic amicè suadeo)

INCOGITANTIAM

fuge:

Et in Christo optimè vale.

BELGI-



BELGICARVM ACADEMIARVM de HELMONTII doctrinâ, IVDICIVM.

QVONIAM HELMONTIO lubuit in libelli sui Epigraphe profiteri, se scribere *Contra opinionem Ioan. Roberti, Presbyteri de Societate* IESV, *Doctoris Theologi*: tamquam si Catholica doctrina, quam in Scriptis meis legerat, priuata mea opinatio esset: vide, Lector candide, cum quibus, præter tot alios, mihi ea sit communis. Academicis Doctoribus, & Professoribus, qui LOVANII, & DVACI, sanam, & Christianam Medicinam profitentur, docent, exercent, *Propositiones* istas exhibui; & super ijs, eorum Iudicium rogaui. Cuiusmodi id fuerit, lege hîc ad verbum eorumdemmet verbis.

PROPOSITIONES PARACELSI.

I. VVLNERATVS est Titius in Poloniâ. Si gladium habeas in Hollandiâ, quo vulnus factum; eumq; gladium certo vnguẽto inungas, quod *Armarium* vocant: etiamsi nihil vulneri adhibeatur, sanabitur tamen, per vim, & actionem *Magneticam*. idque sine dolore, & naturaliter, sine superstitione.

II. SEMPRONIVS grauiter laborat morbo incurabili. Apertâ ei venâ, sanguis oui putamini includitur: gallinæ incubanti supponitur: aliquanto pòst, coagulatus, & fœdè putrefactus, cani, vel porco vorandus traditur. Dum hic tabescit, homo sanatur.

III. MVLTÆ aliæ sunt actiones, quibus in distans agitur. Exemplum vnum sit. Lucerna semel concinnata oleo, ex hominis sanguine destillato: nullo alio alimento adiecto, tã diu ardet, quàm diu is homo viuit, è cu-

è cuius ſanguine oleum eſt. At illo vbilibet moriente, Lucerna, quantumuis diſſita, extinguitur.

QVÆRITVR, Quid de his Propoſitionibus iudicent DD. Medici, An videlicet cum *ſanâ Medicinâ* conſiſtere poſſint?

Ad primam ſuprapoſitam Propoſitionem, nos infraſcripti (Academici Profeſſores Louanienſes) *dicimus, Titium non curatum iri: vel, ſi ſanetur, aut curetur, ſanatum iri per virtutem* DIABOLICAM (*quæ an* MAGNETICA *vocetur, ignoramus*) *non autem per virtutem naturalem, neque ſine Superſtitione.*

Ad Secundam, reſpondemus eodem modo: Nempe, quòd vel non ſanabitur; vel, ſi ſanetur, quod non ſanabitur naturaliter, ſed arte DIABOLICA.

Ad T*ertiam, dicimus, eſſe Mendacium* DIABOLICVM.

THOMAS FIENVS *Med. Doctor, & Profeſſ.*

GE-

GERARDVS DE VILERS *Med. Doctor, & Professor.*

NOS *infrascripti Medici, Professores Regij Academiæ Duacensis, arbitramur, has positiones, nullâ vi naturali agere posse, nec cum sanâ Medicinâ posse consistere, nec veræ doctrinæ esse conformes.*

MARTINVS REMY *Med. D. & Professor Primarius.*

DV GARDIN *Med. D. ac Profess. Ordinarius.*

PH. BECQVET *Chirurgiæ Professor.*

IDEM *censeo cum Doctoribus Academicis, quondam talis.*

ERICVS SOVTHEMIVS *Phil. & Med. Doctor, Ducatus Luxemburgensis Medicus stipendiarius.*

FINIS.

LICENTIAM PVBLICANDI

HVIVS libelli dedit R. P. FLORENTIVS DE MONTMORENCY, Societ. IESV in Gallo-Belgicâ, Præpoſitus Prouincialis, litteris datis Duaci 8. Auguſti 1621.

